tueatur? hoc ſecunda poteſt hierarchia. Quæritur pro inferiori cœnaculo, quis ordo ſit in convivantibus? offerunt ſe Principatus, ſubordinant Arch-Angeli, & Angeli ſubſerviunt. Jo: Gerſon tr. 9. ſup. Magnificat.

§. IV.

Angelorum cuſtodia.

Figura.

E*Quitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavit te amica mea.* Cant. 1. 8. Angelicis fulta miniſteriis, & ſuperno ſtipata agmine ſponſa incedens ſimilis eſt equitatui Pharaonis &c. S. Bern. in Cant. ſ. 39.

Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem. Cant. 3. 3. Angeli ſcilicet ſancti, qui civitatem, id eſt, Eccleſiam, vel Fideles, cuſtodiunt. Ric. à S. Vict.

En lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael. Cant. 3. 7. Lectulus Chriſti eſt mens ſancta, quam proinde ambiunt, & cuſtodiunt ſexaginta, id eſt, plurimi fortes, angeli, ut Aponius, apud Corn. à Lap. hìc. Quàm nos beatiores Salomone! qui non regio excepti thoro, ſed in ærumnoſum abjecti ſterquilinium, ſtipamur tamen Sionis principibus, militia cœleſti, Angelorum Cuſtodum. Oliva l. 5. Strom. hìc.

Sepivit eam. Iſ. 5. 2. in quo ſignificatur cuſtodia angelorum. S. Thom. hìc.

Teſtimonia

Ex Scriptura, & Patribus.

Ecce duo viri aſtiterunt. Act. 1. 10. Cur duo angeli apparentes dicuntur viri? S. Epiphan. or. de aſc. viri dicuntur, ut animi robur diſcipulorum confirment.

Prælium, de quo. Apoc. 12. 7. ait Ribera, vulgus initio Mundi factum putat, cùm diabolus, & angeli ejus, cœlo ejecti ſunt, ſed ſine dubio pertinet ad extrema tempora. In hoc prælio Michael, & angeli ejus, non ſuas ſibi res agent; ſed ea charitate pro nobis decertabunt, quaſi in ſalutis noſtræ periculo æterna, & jam ſecura, ipſorum ſalus, periclitari videretur. S. Laur. Juſt. de S. Rich. Veneremur in Domino cives noſtros, fideliſſimoſque adjutores, & militiæ noſtræ propugnatores egregios. Cooperatores eorum ſimus pro nobis, nè ſupervacuè in nobis laboraſſe videantur: gaudium enim illorum eſt fortitudo noſtra. Ramirez ep. 5. Apoc. 3.

Plena ſunt angelorum omnia, aer, terra, mare, Eccleſiæ; quibus angeli proſunt. Sed quorſum, inquies, hæc innumerabilis multitudo angelorum, quaſi nihil oculis videas, nihil manu attingas, nihil pedibus teras, quod infinitis non refertum angelis videatur? Adſunt Cherubim & Seraphim, qui dicunt Sanctus! Sanctus! Sanctus! Plenus eſt Mundus ſanctarum virtutum, quia plenus eſt nequitiarum. Plenus eſt orbis terrarum remediis, quia plenus eſt laqueis. S. Ambroſ. Oct. 1. Pſ. 118. apud Fernandium in Gen. 3. 13. ſect. 26.

Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis cuſtodiam ſui angelum delegatum. S. Hier. in Matth. c. 18.

Omnem creaturam ſenſibilem Deus armatam, & munitam creavit; alias veloci pedum curſu, alias unguibus, alias pennis, alias carnibus, alias denique dentibus. Hominem ſolum ſic diſpoſuit, ut virtus illis ſit ipſe Deus. S. Chryſoſt. in Matth. 7.

§. V.

Angeli quos ament? quibus ſe ſocient?

A*Pparuit ei Dominus in convalle.* Gen. 18. 1. Cur Abrahæ, qui tam ſæpe orabat in montibus, & campis, non apparuere angeli; ſed ſedenti ad oſtium tabernaculi? Zachariæ viſus eſt angelus in templo. Luc. 1. 11. ſignificat, nihil in patrefamilias æquè mirandum, quàm ſi domui ſuæ præſit; ut in Sacerdote plus nihil probatur, quàm ſi adſit domui Domini, ſuæ domus non memor. Sacerdos, ſi procul ſit à domo ſua, ab Angelo recreatur; ab angelis, verò inviſitur Patriarcha, ſi ſit in oſtio domus ſuæ. Judic. 6. 11. *Cumque Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta - apparuit ei Angelus Domini.* Delectantur Angeli labore hominum. Tantus vir ab angelo inviſitur non orans, ſed laborans. Oliv. l. 10. Strom. §. apparuit &c.

Fueruntque ei (Jacob) obviam Angeli Dei. Gen. 32. 1. Cur nunc potiùs, quàm aliàs habuit obvios ſibi angelos? S. Ambroſ. l. 2. de Jacob c. 6. Perfectis, & fidelibus, divina ſolent eſſe præſidia.

Angeli eorum in cœlis. Matth. 18. 10. Dignitas humilium apponitur ex Angelico miniſterio prompto pro ipſis &c. Cajetanus hìc.

Apparuit autem illi angelus Domini. Luc. 1. 11. Angelus læta nuntiaturus apparuit ad altaris dexteram. Nuſquam angeli certiùs inveniuntur, quàm ubi ſanctis operibus vacatur. Did. Stella hìc.

Deus, & Dei angelus, non apparent promiſcuè hominibus: ſed iis, qui puro, caſtoque ſunt animo. Titus Boſtr. in c. 1. Luc.

Ob beneficentiam in proximos Angeli cum hominibus converſari non ſunt dedignati, de qua re ſcribitur ad Hæbræos c. 13. 16. *beneficentiæ nolite oblivisci &c.* Iſidorus Clarius l. 1. or. 61.

§. VI.

Angelorum imitatio.

S*Icut Angelus Dei.* 1. Reg. 29. 9. q. d. Summè mi hì gratus es, & ſummè mihi places; immò veneror te quaſi angelum Dei. Eſt phraſis Hebræa, qua utuntur, cùm quempiam valdè laudare, & tollere volunt. Corn. à Lap. hìc.

Immittet angelus Domini. Pſ. 33. 7. Angelus miniſter eſt voluntatis divinæ: quapropter ſi vis te angelum fieri, fac, quod præcipit, ut liberes periclitantem, ſubvenias anxio eripias innocentem. Caſſiodorus hìc.

Sunt novem ordines, Angeli, archangeli, quorum ad ſocietatem, quia conſtat, Electos homines colligi, unumquemque in ſuo ordine, & eiſdem ſanctis Angelis ſimiles fore, alios aliis, ſecundùm diverſas Ordinationes eorum gradus, differentiaſque claritatis &c. Rupert. l. 2. c. 15. in Gen.

Si ad angelorum in cœlis conſortia tendimus debemus vitam eorum in terris, quantum non noxia corpora tardant, ſemper imitari. V. Beda l. 1. de tabernaculo c. 3.

Sicut in cœlo ſunt novem ordines Angelorum, ſic ſunt in hoc Mundo novem modi bonæ vitæ correſpondentes novem ordinibus angelorum. Primus gradus bonæ vitæ, afflictio pœnitentialis. Secundus gradus, devotio ſpiritualis afflictioni addita: quando tales decedunt, collocantur in Ordine Archangelorum. Tertius miſeratio addita afflictioni, & devotioni: tales in ordine Principatus. Quartus, patientia in ordine Poteſtatum. Quintus concordantia proximalis. Sextus, præſidentia in ordine Dominationum. Septimus, paupertas cum Thronis, Matth. 19. *ſedebitis & vos &c.* Octavus, Sapientia cum Cherubim, Nonus, Charitas cum Seraphinis. S. Vinc. ferr. ſ. 2. poſt D. 2. Paſch.

Abſque dubio non eſt leve, vel facile, humanum animum Angelicam formam induere, & in ſupermundanorum quemdam, & verè plus quàm humanum habitum tranſire; ſpirituales pennas accipere, & ſe ad ſumma levare. O quoties neceſſe eſt, aurum ſuum in ignem mittere, & iterum retrahere; & nunc in hoc, nunc in illud, latus vertere, crebriſque ictibus undique tundere; antequam angelicam formam inde excudat. Cherubimque producat, Richardus à S. Vict. l. 4. de arca myſt. c. 6.

T I T U L U S XIX.

ANIMA RATIONALIS.

§. I.

Figura, Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

D*Iviſit lucem à tenebris.* Gen. 1. 4. Per lucem anima oſtenditur, quæ carne præſtantior eſt, per tenebras caro cum vitiis ſuis V. Bed. hic.

Fecit Deus firmamentum, & diviſit aquas &c. Gen. 1. 7. Firmamentum anima rationalis. Aquæ ſuperiores ſancta deſideria, & mundæ cogitationes; inferiores, terrena deſideria, & immundæ cogitationes Hugo Cardin. hìc.

Manſiunculas in arca facies. Gen. 6. 14. Hugo Vict. lib. allegor. in Gen. c. 6. Arca eſt anima ſancta, vel ſecretum conſcientiæ; aquæ tentationes. Corn. à Lap. hìc.

In terram, quæ fluit lacte, & melle. Ex. 3. 8. Terra promiſſionis eſt anima propria uniuſcujuſque, de qua Matth. 5. 4. *beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram:* hac terra fluit lac, & mel; ab hac terra peregrinantur, qui in carne habitant voluptati corporis dediti. Hugo Card. in Levit. c. 19. 23.

Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur. 3. Reg. 6. 22. Cur Deus domum ſuam auro exornari vult? ut oſtendat, ſe non niſi animis, charitatis auro ſplendentibus, habitare. S. Bern. ſ. 27. in Cant. neceſſe eſt animum creſcere, ac dilatari, ut ſit capax Dei; porrò latitudo ejus dilectio ejus eſt. Barradius. Dom. Pent. tom. 4. l. 4. c. 7.

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te, amica mea. Cant. 1. 8: Non miraberis, unam animam equitatus multitudini ſimilatam; ſi advertas, quantæ in ipſa, unaque tam ſancta anima, virtutum acies habeantur; quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipſi cum hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum. S. Bern. in Cant. ſ. 37.

Derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea. Iſ. 1. 8. Juxta Originem, vinea Dei, & pomorum paradiſus, anima noſtra appellari poteſt; cui ſi mens præfuerit, habet cuſtodem mentis Deum. Sin autem vitia nos, quaſi quædam beſtiæ fuerint deprædata, relinquemur à cuſtode Deo; & omnia noſtra redigentur in ſolitudinem. S. Hier. hìc.

Comparat S. Macarius Eremita hom. 1. animam cum Ezechielis curru

curru c. 1. & 10. Videbat enim myſterium animæ, qua Dominum ſuum amplexura, & thronus gloriæ futura erat. Anima ſiquidem, quæ cum Spiritu Sancto, præparante illam ſibi in ſedem, & habitationem, participare lumen ejus dignata, & pulchritudo inenarrabilis gloriæ ejus illuſtrata eſt; tota fit lumen, tota facies, & tota oculi; nec ulla ejus pars, quæ oculis ſpiritualibus luminis plena non ſit.

Quatuor autem illa animalia currum ferentia, typum præſeferebant præcipuarum animæ rationalis partium: voluntatem, conſcientiam, mentem, & diligendi vim.

Fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Cùm corpus à terra, & ſpiritum poſſideamus è cœlo, ipſi cœlum, & terra ſumus; & in utroque id eſt, in corpore, & ſpiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. S. Cyprianus lib. de or. Dom.

Si currus eſt anima; habet equos, vel bonos, vel malos. Boni equi, virtutes ſunt animæ; mali equi; paſſiones ſunt corporis. Bonus ergo rector malos equos reſtringit, & revocat; bonos incitat. Boni equi ſunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia; mali equi, iracundia, concupiſcentia, timor, iniquitas. S. Ambroſ. l. de Iſ. & anima c. 8.

Eſt ergo cœlum ſancta anima, habens ſolem intellectum, lunam fidem, aſtra virtutes. S. Bern. ſ. 27. in Cant.

Quod eſt auriga currui, rector navi, fidibus Muſicus; idem huic eſſe terreſtri vaſculo, qui finxit illud, animam voluit. S. Chryſoſt. tom. 6. or. de Inſtit. ſecundùm Deum vita.

§. II.

Animæ pretium, dignitas, pulchritudo.

Ex Veteri, & Novo.

I*N principio creavit Deus cœlum, & terram.* Gen. 1. 1. Cur non ſtatim hominem produxit? Facta eſt regia, creetur rex; ædificata eſt domus, producatur habitator. Quid neceſſe eſt ad ſextum diem creationem hominis referri? Philo Jud. lib. de opif. principium, & finem, volans Deus inter ſe coaptare, ut res neceſſitudine conjunctas & amicitia, principium quidem fecit cœlum, finem verò hominem. Ex principio, & fine fecit Deus circulum aureum; ut, quocumque ſe verteret homo, cœlum videret. Amicum tibi eſt cœlum, familiare; ſolum hominem agnoſcit ſibi neceſſitudine conjunctum: nexum amicitiæ nè diſſolvas. Sit tibi ſemper familiariſſimum; & licèt ſitu remotum; mente, & deſiderio, propinquum. Lactantius lib. 2. de orig. error. cap. 13. ficto corpore, ſpiravit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt perennis: conſtat enim ex anima, & corpore; id eſt, quaſi è cœlo, & terra: quandoquidem anima, qua vivimus; velut è cœlo oritur à Deo. Luc. de Arcon in Iſ. 1. v. 2.

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Gen. 14. 21. Diabolus hic figuratur in rege Sodomorum ſic locutus. S. Alb. M. de Paradiſo animæ cap. 26.

Anima cùm obtulerit &c. Levit. 1. 1. anima, id eſt, homo per Synechd. Sicut caro ſæpe totum hominem ſignificat, ut Gen. 6. 12. *omnis caro corruperat viam ſuam;* Jo. 1. 14. *Verbum caro*, id eſt, homo, *factum eſt;* Iſ. 40. 6. *omnis caro fœnum*, ubi nota, Scripturam uti nomine animæ, cùm actuum animæ, vel dignitatis habetur ratio; carnis verò, cùm hominis vilitatem ſpectat. Corn. à Lap. hìc.

Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Job 2. 4. q. d. Non parcus eſt homo pro anima ſalvanda, immò pro illa dabit divitias, & ipſum ſanguinem Baeza tr. 3. l. 14. c. 11. §. 7. Dilectiſſimam eſſe animam ſuam homini, etiam diabolus non negavit. Et quia avertere omnino cunctos ab affectu animarum ſuarum nititur; idem tamen chariſſimas eſſe debere cunctis ſuas animas confitetur. Salvianus ad Eccleſ. Cathol. l. 3.

Viſitans ſpeciem tuam non peccabis. Job 5. 24. Animæ tuæ ſpeciem ſæpius introſpicias, & ita cuſtoditus protectione miſericordiæ illius, non peccabis. V. Beda hìc.

Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Matth. 10. 30. S. Ambroſ. ſ. 26. Si capillorum noſtrorum meminit, multò magis animarum noſtrarum, per numerum enim curam circa nos cognoſcimus: nemo enim numerat, niſi quod vult diligentius cuſtodire.

Quemadmodum *gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15. 10. ita triſtitia multa eſt: & luctus, ſuper una anima, quæ excidit vita æterna. S. Macarius hom. 15.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil quietiùs, nihil puriùs, nihil denique pulchriùs, ea mente eſſe debet, quæ in Dei habitaculum præparanda eſt; quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria diſtincta, delectant, ſed anima ornata virtutibus. S. Hier. ep. 14. ad Paulinum de inſtit. Monach. Imperet anima noſtra, ſerviat corpus; & ſtatim veniet Chriſtus, & habitabit in nobis. Id. in Pſ. 76.

Quid eorum, quæ in faciem lucent, ſi internæ cujuſpiam ſanctæ animæ pulchritudini comparetur; non vile, ac fœdum, recto apparent æſtimatori? S. Bern. ſ. 27. in Cant.

Totus iſte Mundus ad pretium unius animæ æſtimari non poteſt: non enim pro toto Mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Id. lib. de anima c. 3. Nobilem hoſpitem habes, ò caro, nobilem valdè! & tota ſalus tua pendet de ejus ſalute. Id. ſ. 6. de triplici ad v.

Magna res eſt anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt! gravis animæ caſus, qui non niſi Chriſti cruce potuit reparari. Id. ep. 54.

Beata illa, & ſempiterna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus ſcilicet, ſumma potentia ſumma ſapientia, ſumma benignitas, creavit quamdam trinitatem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; animam videlicet rationalem, quæ in eo præfert veſtigium illius ſummæ Trinitatis; quod ex memoria, ratione, & voluntate, conſiſtit. Id. ſ. 1. in parvis.

Vis ſcire, quantum ſit pretium animarum? redempturus eam Unigenitus non Mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, ſed ſuum pretioſum ſanguinem. Vidiſti magnitudinem pretii? quando ergo eam tanti emptam perdideris, quomodo poteris eam deinceps emere? S. Chryſoſt. in Pſ. 48.

Hæc priùs erat filia dæmonum, filia terræ, ipſa tellure indigna: eadem nunc facta eſt filia Regis. Hoc ut eſſet, voluit, qui flagrabat ejus amore. Qui enim amat, non magnoperè obſervat modum; qui amat, non perſpicit deformitatem. S. Chryſoſt. in Pſ. 44. in illud: audi filia.

Nihil eſt, quod animæ poſſit æquiparari, nè univerſus quidem Mundus. Itaque ſi immenſas eroges pecunias pauperibus; plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam. Id. hom. 3. in 1. Cor.

Animam tuam deploro, numeroſiſſimis, adeoque innumeris, populis adæquatam dignitate; immò multis nominibus digniorem. Id. Parænesi ad Theodor. lapſum.

Licèt anima unius naturæ, tres tamen in ſe dignitates habet, id eſt, intellectum, voluntatem, & memoriam. S. Ambr. l. de dign. humanæ condit. c. 2.

Rerum omnium curſus obſequiis corporis, animarum conſtat imperio. Ennod. l. 6. ep. 3.

Rationalis ſpiritus, eſt imago ſumma Trinitatis; ut, ſicut Deus eſt trinus, & unus; ita anima; cùm ſit una, habet tres potentias. quibus capax eſt Dei, ſcilicet rationem, memoriam, & voluntatem. S. Bonav. de renovat. mentis parte 1. c. 10.

Si pro una tantùm anima totum, quod eſt in Mundo, appendas, aurum, argentum, metallaque cætera, margaritas omnes, prædia, poſſeſſiones, palatia, urbes, caſtra, ipſumque Mundum; nihil in ejus comparatione dediſti. S. Laur. Juſt. ſerm. in feſto S. Thom. Apoſt.

Anima regium quid præſefert ex eo, quòd libero voluntatis arbitrio utitur, pro purpura virtutem induta, quod omnium indumentorum eſt maximè regium; pro ſceptro verò immortalitatis beatitudine nixa; pro diademate juſtitiæ corona honeſtata. Iſid. Clarius l. 1. or. or. 58.

Anima hominis, facta ad imaginem Dei, eſt pretioſiſſima; plus quàm capilli virginis, vel lac, ſeu vera crux, vel aliquod corporale. Si magnum peccatum eſſet, proiicere capillos Chriſti, vel lac, vel crucem Chriſti in ſterquilinium; quantò magis de anima, quando projicitur in latrinam luxuriæ, eſt majus peccatum. S. Vinc. Ferr. S. 3. intrà octav. S. Dominici.

Si videres unam animam ſine turpitudine, & macula peccati; tranſires ſic mille annis, quòd numquam velles comedere, nec bibere. Id. ſerm. Sabb. poſt Oculi.

Si formarentur tot empyrii cœli, quot ſunt aquarum guttæ, quot ſunt grana arenæ maris, quot ſunt etiam ſtellæ maris; omnis pulchritudo eorum ſimul ſumpta non poſſet æquari pulchritudinis unius animæ. Tanta eſt excellentia ejus. S. Bernardinus ſen. ſ. 51. Artic. 1.

Anima Chriſtiana, baptiſmi trina immerſione, ad plenum, tam ab originali, quàm actuali peccato, purificata; menſa Domini eſt puriſſima. Ad hanc enim, ſuperborum regum, & omnium prædivitum menſis deſpectis, accedit Dominus; ut reficiat, & reficiatur; ut miniſtret, & miniſtretur. Petr. Coll. l. de panib. c. 9.

§. III.

Anima quantùm à Deo, & Chriſto, æſtimetur.

Ex Veteri.

N*On negabis mercedem indigentis pauperis, ſed eadem die reddes ei mercedem laboris.* Deut. 24. 14. Chriſtus eſt indigens, & pauper, qui pro nobis in paſſione laboravit: cui reddere debemus eadem die, id eſt, in hac vita, pretium laboris ſui; id eſt, noſmetipſos. Hugo. Card. in Prov. c. 3.

Audi filia. Pſ. 44. 11. Hæc priùs erat filia dæmonum, filia terræ, ipſa tellure indigna; eadem nunc facta eſt filia Regis. Hoc ut eſſet, voluit, qui flagrabat ejus amore, &c. S. Chryſoſt. hom. in Eutropium, & illud Pſ. aſtitit regina.

Si ignoras te. Cant. 1. 7. An ignoras, quia tu es meus meridies? noſce teipſam, & in te invenies me: quia in te cubo, & paſco. Lud. de Ponte hìc.

Quia amore langueo. Cant. 2. 5. S. Greg. vertit: *vulnerata ſum à dilectione.* Oſtendit hac oratione telum, quod cordi altè inſidet.

det. Qui autem telum jaculatur, eſt dilectio, ſeu charitas. Quæ paulò ante facta eſt ſcopus, nunc ſeipſam aſpicit in manibus ſagittarii. *Læva eius ſub capite meo*; quia arcus tenditur, & dextera illius amplexabitur me, qua telum dirigit. Tamquam ſponſam ſurſum deducens ad participationem æternitatis. S. Greg. Nyſſ. hic hom. 4.

Ecce merces eius cum eo. Iſ. 40. 10. q. d. Chriſtus ſemper præ oculis habebit mercedem ſibi à Patre paratam; ſcilicet quòd pro mercede obitæ mortis habebit dominium in omnes gentes juxta Pſ. 2. 8. *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Merces Ergo Chriſti ſunt fideles, quos, quaſi oves, ei Pater pro mercede tradidit. Corn. à Lap. hic.

Si bonum eſt in oculis veſtris afferte mercedem meam. Zach. 11. 12. Scilicet animas veſtras, pro quibus mortuus ſum. Et addit: *Si non, quieſcite*. q. d. Nolite me ampliùs crucifigere. Hugo Card. in Pſ. 108.

Ex Novo.

In manus tuas commendo ſpiritum meum. Luc. 23. 46. Senſu hujuſmodi Chriſtus orat, velut corporis Eccleſiæ cum ipſo Capite Chriſto eſſet anima una, ſeu ſpiritus unus; ut amoris ejus vehementia unione charitatis, & fidei Sacramento myſteriis, dicat Chriſtus Patri de ſpiritibus omnibus ſibi adhærentibus in veritate, quaſi de Spiritu uno: *commendo ſpiritum meum*. Sim. de Caſſia l. 13. v. 46. Conſideremus Chriſti amorem, quem nobis Chriſtus moriendo monſtravit. Ait enim: *Pater, in manus tuas &c.* In hoc enim omnium Electorum ſuorum ſpiritum commendavit, & reddidit Deo Patri: in anima enim Chriſti unita per omnia Deitati, certa notitia ſcriptæ erant omnes animæ ſuo ſanguine redimendæ; quas, ut animam ſuam, ad æternam gloriam dirigebat; pro quibus in lacrymis, & clamore valido, *exauditus eſt pro ſua reverentia*: has ſiquidem Patri, animam ſuam recommendans, in ipſa omnes Patri ſuo recommendabat; atque omnes ſalvandas animas, velut ſuam unam animam fecit: facit enim altiſſima charitas, quod eſt alterius, eſſe ſuum. S. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſer. 55. par. 2. O quanto labore, & quàm ferventi amore, quæſivit animam amoroſus Jeſus! Virginis uterum vix egreſſus, & dilectam animam more infantium vocat A! A! A! Anima mea! anima mea! anima mea! te quæro! pro te invenienda hanc peregrinationem aſſumo. Id. Art. 2. ſ. 51.

Pater, in manus tuas &c. Luc. 23. 46. hæc quoque Chriſti commendatio in animarum noſtrarum commodum cedebat; quippe quas ille à corpore, quod inhabitaverant, abſolutas, quaſi quoddam depoſitum, in Dei viventis manus ea oratione tradebat. Victor Antioch. in c. 15. Marci.

Nuptiæ factæ ſunt, Joan. 2. 1. Unde tibi, ò humana anima! unde tibi tam inæſtimabilis gloria? ut ejus ſponſa merearis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere? S. Bern. ſer. 2. de mut. aquæ in vinum.

Fatigatus Jeſus ex itinere. Joan. 4. 6. Numquid Dei virtus poterat fatigari? non utique; ſed fatigabatur, quòd fidelem populum invenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Chriſtus, quando nullam virtutem in ſuo populo recognoſcit; hodieque fatigat illum infirmitas noſtra. S. Aug. ſerm. 92. de temp. Sylv. in Joan. 4. Fatigatur, quia ad dilectam animam Samaritanæ properabat. Eſcob. l. 3. obſ. 1.

Ego ſum via. Joan. 14. 6. Jo. Raulinus ſer. 23. de Sanctis: attende, quòd Chriſtus ſe non ductorem viæ, ſed ipſam viam appellavit; ut videas, quò ſe Chriſtus dejiciat amore animarum. Via hominem in terminum ducit, ſed quanto ſuo diſpendio? ab omnibus calcatur, proteritur Did. Niſſ. Dom. 2. Pent.

Egreſſus trans torrentem Cedron. Jo. 18. 1. Animam quærens ingreditur hortum; orat, laborat; & ſudore ſanguineo madefactus in agonia ſupplicat æterno Patri animam invenire. Fluit ſanguis pro te abluenda, anima mea! Apertæ ſunt cataractæ cœli, ut inundet diluvium gratiæ ad animæ crimina ſuffocanda. Id. ibid.

Formam ſervi accipiens. Philipp. 2. 7. Non ſervus ſervorum Dei, ſicut Papa, ſed ſervus ſervorum diaboli factus eſt, ſerviens in fimo peccatorum expurgando. *Servire me feciſtis in peccatis tuis*. Iſ. 43. 24. Servivit autem nobis non uno anno, ſed uſque ad mortem. Unde nefas eſt, fraudare eum mercede ſua, ideſt, anima tua, pro qua ſervivit. S. Bonav. 7. D. 1. adv.

Ex Patribus, & aliis.

Quid animas hominum, niſi cibum Domini dixerimus; quæ ad hoc ſunt conditæ, ut in ejus corpore trajiciantur, ideſt, ut in æternæ gloriæ augmentum tendant. S. Greg. hom. 17. in Evang.

S. Ephrem de Compunct. ſer. 3. Chriſtum, ſicut & alibi ſæpe, vocat animarum amatorem.

Chriſtus venit ad forum hujus Mundi, ad emendum animas pretio ſanguinis. S. Vinc. Ferr. ſer. 3. de Nat. B. Virg.

Videtur, quòd Chriſtus in ſua circumciſione tenuerit modum magni mercatoris venientis ad feriam, pro emendo pretioſas merces; quas non ſolvit, ſed dat ſignum, vel arrham; deinde tempore ſtatuto ſolvit totum pretium. Ità fecit D. N. I. C. qui venit de cœlo in terram, in quam intravit in die Nativitatis ad emendum pretioſas margaritas, ideſt, animas, dicens Mundo: *da mihi animas, cætera tolle tibi*. Gen. 14. 21. Id. in feſto Circumc. Dom.

§. IV.

Animæ æſtimatio, cura, cuſtodia.

Ex Veteri.

Propitius ſit mihi dominus. 3. Reg. 21. 3. Vinea eſt anima, quæ eſt tota hæreditas noſtra; quare cave, nè illam vili pretio voluptatis, vel honoris vendas diabolo, morti, gehennæ. Corn. à Lap. hic.

Vir erat &c. Job 1. 1. B. Job de virtute, & fortitudine, animi contra tentationes, quas, diabolo inſtigante, ſuſtinuit, *vir* appellatus eſt. V. Beda. in Job 1.

Quarè animam meam porto in manibus meis? Job 13. 14. ideſt, nulla eſt ratio, quare ſalutem animæ meæ parvipendam: illud enim, quod in manibus portatur, de facili non amittitur. Unde videtur, quòd ejus amiſſio non multùm timeatur: quæ enim aliquis amittere timet, diligenter abſcondit. S. Thom. hic lect. 2.

Erue à framea Deus! animam meam, & de manu canis unicam meam. Pſalm. 21. 21. Scilicet animam ſuam. *Unicam meam*, S. Hieron. *ſolitariam meam*. Sept. *unigenitam*. anima unigenita, primogenita eſt, ut prima omnium ſit in pretio, amore, & oculis; ut illi, & pro illius honore, ſalute, cura, labores, & ſudores, vita, morſque hominis, tamquam filio unico, & hærede, à patre amantiſſimo impendatur. Sed longè fit aliter: nihil enim tam ſolitarium, orbatum omni ope; nihil æquè à ſenſu, memoria, cogitatione, à cura, & ſtudio, alienum; quàm anima ſua cuique noſtrum eſt. Benedict. Fernandius in Gen. 1. ſ. 3.

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me; tribulationem, & dolorem inveni. Pſalm. 114. 3. Quid inter has anguſtias dicit? hoc tantùm inclamat: *ò Domine, libera animam meam!* S. Chryſoſt. vidiſti ſapientem animam, quomodo, relictis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, unum tantùm petiit; ut maneat anima illæſa, & nihil patiatur eorum, quæ illam lædant. Did. Niſſ. ſer. 6. poſt Dom. 3. Quadrag. §. 4.

Anima mea in manibus meis ſemper. Pſal. 118. 109. Sicut, quod in manibus noſtris tenemus, non facilè obliviſcimur; ſic numquam obliviſcamur negotium animarum noſtrarum; & illa cura principaliter vigeat in cordibus noſtris. S. Bern. ſerm. 3. de Vigil. Nativ.

Ex Novo.

Acceſſit ad eum Centurio rogans eum. Matth. 8. 5. Ille pretioſus eſt Domino ſuo ſervus, qui magno pretio emptus ſic fideliter ſervit, ſic res Domini ſervat; ut pretio dignas reddat Domino uſuras. Quis vilior, quàm qui nihil proficit, licèt mille aureis conſtiterit. Euſeb. Emiſſ. hom. 1. de Symbolo: ille pro commiſſa nobis ſalute rationem exacturus eſt, qui pro noſtra redemptione damnatus eſt. Qui tantùm contulit, ſcit, quantùm repoſcat. Novit, quanti ei conſtiterit homo ſuus; non ergo viles nobis ſimus, qui tam pretioſi Deo fuimus; nihil ille à nobis abjectum, nihil mediocre ſuſcipit; vult conſentire cum generoſitate pretii dignitatem redempti. Baeza t. 2. l. 9. c. 3. §. 3.

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Matth. 20. 6. Non negotioſi. Eſt magnum negotium, quo nullum in hac vita majus, & præclarius, vineæ noſtræ; ideſt, animæ cultura, & ſalus. Barradius hic. Omni vigilantia culturæ vineæ, ideſt, animæ noſtræ, vacandum docet paterfamilias, qui ad colendam vineam ſummam vigilantiam adhibuit. Quod illi è ſomno excitato primùm occurrit, vinea eſt, mox è lecto ſurrexit, domo exivit, in forum abiit, quærens operarios. Nec hoc ſatis; *egreſſus circa horam tertiam &c.* Diſcat Chriſtianus ab hoc patrefamilias diligentiam, & vigilantiam, quam vineæ, ideſt, animæ ſuæ, adhibere debet. Hoc negotium primo manè, cùm expergiſcitur, primùm veniat in mentem: *vinea mea coram me eſt*. Cant. 8. 12. *Anima mea in manibus meis ſemper*. Operarii in hanc vineam vocandi: primò manè voca conſiderationem rerum æternarum. Hic operarius eximius vineæ, qui illam ſylveſcere non patitur: *cogitavi dies antiquos*. Pſalm. 76. 6. antiquos illos ſanctos, antiquas virtutes. Secundus operarius lectio ſacrorum librorum. Tertius operarius confeſſio: hæc vineam putat, crimina amputans. Quartus operarius Communio. Quintus cuſtodia Angelorum, & auxilium Chriſti; ſine quo nihil poſſumus. Barrad. ib.

Cujus eſt hæc imago? Matth. 22. 20. oportebit intergiverſabiliter omnem animam in judicio exhiberi diſcutiendam, ſi immaculata ſervata eſt, ſi aliam impreſſionem accepit; ſi, ubi, quando, qua cauſa, quo ſcalpro; à quo, aliam malæ artis impreſſionem accepit. Et ſi abolita eſt illa ſcriptura naturalis, & originalis juſtitiæ, quæ non atramento, aut aliquo ſtylo, ſed divina virtute ſcripta fuit in cordibus humanis. Sim. de Caſſ. l. 11. cap. 51. Reddamus Deo imaginem ſuam, reddamus Deo animas noſtras; nihil charius habemus: hoc igitur tributum ſolvere debemus. Sanct. Euſeb. Emiſſ. Dom. 23. poſt Pent.

Stupebant ſuper prudentia ejus. Luc. 2. 47. hortabatur non ad quævis promiſcuè, ſed ad cœleſtia, & animæ ſalutaria; perfidiſque, & obſtinatis peccatoribus imperterritè ſupplicia comminabatur. Victor Antioch. hic.

Unica filia erat ei, & hæc moriebatur. Luc. 8. 42. Barrad. Habet quivis homo filiam dilectam, & unicam, ſcilicet animam ſuam. Dementiæ ergo argueris, qui tam ſegniter unicam cuſtodis. Eſcobar tom. 1. mir. Chriſti p. 4. obſerv. 2.

Permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. Luc. 9. 59. Summa vitæ humanæ incertitudo nec minimam morulam admittit, quò tardes ad Deum venire. Quid agis homo? Deum ſequi vis, & primùm domum abis? Unde ſcis, an revertendi tempus aderit? vis domeſticas res diſponere; habeſne diem craſtinum? Ezechias jubetur domui diſponere. Iſa. 38. propter inſtantem mortem; ille autem, domum oblitus, hoc agit, ut Deum oret. v. 2. Baeza. t. 2. l. 6. c. 4. §. 7.

Intravit Jeſus in quoddam Caſtellum. Luc. 10. 38. Eſto & tu Caſtellum, ut intret in te Jeſus. Caſtellum fortiſſimum debet eſſe anima, quam Jeſus inhabitat. S. Thom. Vill. de Aſſ. Virg.

Sedens ſecùs pedes Domini &c. Luc. 10. 39. Intrat Dominus fatigatus ex itinere, & fame confectus: Maria autem de neceſſario victu divino Magiſtro non proſpicit, ſecùs pedes illius ſedet, ut Verbum ejus audiat. Magna quippe res eſt, & animam ſui obliviſci, & Mundi, coram Deo. Sic mulier illa Samaritana juxta fontem eloquio Domini abſorpta, hydriæ, & aquæ, oblita eſt, Jo. 4. 28. Sed magis abſorpta erat Maria: quia Dei, coram ipſo Deo, abſorpta eſt. Aſpice Sancta mulier, quòd ille fame affligitur, qui Angelos paſcit! fameat ille, ut ſalver ego. Ecce quantæ curæ ſit. D. Magdalenæ anima ſua! Philipp. Diez conc. 2. in Aſſ. Virg.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. Luc. 11. 21. Gilbert. ſerm. 16. in Cant. *En lectulum Salomonis 60. ambiunt*, Cant. 3. 7. & in Evangelio habes: *cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*. Uberior hic commemoratur cuſtodia, quia uberior eſt gratia lectuli, quàm atrii; & ſponſæ ſollicitudo major, quàm poſſeſſionis. Sylveira hic. quæſt. 20.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Luc. 16. 1. Animam noſtram, quaſi villam ſuam nobis dignatus eſt committere Deus, ut illam omni ſtudio debeamus excolere. S. Cæſar. Arelat. hom. 20.

Anima mea habet multa bona poſita. Luc. 12. 25. Amat animam ſuam, qui, quantum in deliciis, tantùm in vitiis, fovet præſentem vitam ſuam, qui ſibi blanditur; qui etiam malam defendit vitam ſuam; qui dicit cum ſtulto divite: *anima mea &c.* Iſte ergo *perdet eam*: nocte enim, ideſt, tempore, vel hora, quam ignorat, repetent eam. E contra odit animam ſuam, qui abhorret, qualem fuiſſe meminit præteritam vitam ſuam; qui converſus ingemiſcit, & ſeipſum punit per pœnitentiam. Iſte *in vitam æternam cuſtodit eam*. S. Rupert. Abb. l. 1. in Deut. c. 24.

Ex Patribus.

Pretioſa veſtis timindiùs cuſtoditur, majori ſollicitudine poſſidetur; grandi cura, magna, quæ ſunt, cuſtodiuntur. S. Cyprianus lib. de mortalit.

Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant; ſummaſque ſibi ſolicitudinis partes ſalus quæ ſumma eſt, vendicet. S. Eucher. epiſt. parænet. ad Valerian. cogn. ſuum. Chariores nobis nos debemus eſſe, quam noſtra ſunt. Id. hom. 2. in Natali Eccleſiæ.

Unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio poſſit æſtimare. Etenim ſi unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? S. Chryſoſt. hom. 3. in Acta Apoſt.

Pecuniam qui amiſit, aliam pro amiſſa poteſt afferre; ſimiliter qui ædes, qui ſervos, qui cætera hujuſmodi, amiſit: animam verò ſi perdas, aliam pro ea dare numquam poteris. Sed ſi rex orbis, atque Dominus, eſſes; ſi omnia, quæ in orbe ſunt, & ipſum orbem offerres, non poteris animam eruere unam. Id. hom. 56. in Matth. 16.

Quæ oratio, quæ merces; quantum honorem Deus humano generi exhibuit, mirificum profectò & admirandum explicare poterit! quis Angelus? quis Archangelus? nihil quod in cælis eſt, nihil quod in terra. Et profectò in hoc quoque Domini videre licet benignitatem; qui, cùm nemine noſtrum indigeat, referri ſibi tamen vicem dicit, cùm animam noſtram non neglexerimus. Id. hom. 10. in Jo.

Nullo pacto ſimul ſtare poſſunt, & argenti, & animæ, amor. Id. in 1. Corinth. c. 10. hom. 23. Omnia nobis duplicia dedit Deus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes; ut, ſi alterum horum læſum ſit, altero indigentiam revelemus. Animam verò unam nobis dedit; quam ſi perdiderimus, quonam vivemus? Id. or. de anima.

Vitam curemus noſtram, & neque circa pecunias ſtudeamus, quæ pereunt, neque circa gloriam, quæ extinguitur; non circa corpus, quod ſeneſcit; non circa pulchritudinem, quæ marceſcit, non circa delicias, quæ defluunt: ſed circa animam omnem curam impendamus, & hanc omni curemus modò. Idem hom. 8. ad pop.

Impius eſt, qui animæ ſuæ pro ſuis parentibus eſt crudelis; majoremque temeritatem hac nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat ità periculosè quis pro amicis ſuis. Petr. Bleſenſ. ep. 11. ad Cler. ingreſſ relig. tardantem.

Codicis divini phraſis eſt: poſuit animam ſuam in manu ſua: id eſt, in ſummum ſe diſcrimen objecit. At commendare, & ponere animam ſuam in manus Dei, ſummæ ſecuritatis. Drexelius de Chriſto moriente, par. 3. c. 6. §. 7.

§. V.

Animæ cura præ corpore eſſe debet.

Ex Veteri.

Immiſit D. Deus ſoporem in Adam &c. Gen. 2. 21. Dum mulier ei auxilium rei familiaris datur, prima de anima cura, ſecunda de corpore. Sylv. in Luc. 6.

Cumque cognoviſſent, ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus. Gen. 3. 7. Plus inhiant homines divitiis, quàm criminibus extirpandis. Primi-parentes delicti rei delentne criminibus culpam? curantne animæ medelam? *cùm cognoviſſent &c.* Corporis nuditatem tegere laborarunt, nuditatis animæ non meminerunt: prima ſtudia non animæ dicantur cultui, ſed corporis ornamento. Naxera in Joſ. 12. §. 3.

Diviſitque filios Liæ &c. Gen. 33. 2. Ancillis præeuntibus Rachelem, & Joſephum, ultimo ſiſtit loco Jacob: quia, ut ait Oleaſter, commune, & naturale eſt, ut quæ minùs diligimus, priùs periculis exponamus; ſicut hic Jacob ancillas, & liberos præmiſit. Ludov. Alvarez in Joſeph. Illuſtr. Illuſtr. 4.

Erant omnes animæ, Exodi. 1. 5. Nota: Dominus homines vocat animas potius, quàm corpora: per hoc inſinuans; curam animarum potiùs, quàm corporum, eſſe gerendam. Unde Dominus primò venit propter animas, ſecundò propter corpora reformanda venturus. Hugo Card. hic.

Iſraelitæ percuſſi à ſerpentibus æneum ſerpentem aſpexerunt, Num. 21. 9. nec ullus adeò ſciolus aut ſuperbus, qui in illo ſcandalizetur, & nolit ab eo ſalutem ſperare. Ponitur eidem populo Filius Dei in cruce exaltatus; quem ſi ſuſpiciant, veram, & æternam ſalutem habeant; Quid nunc Judæis crux Chriſti? S. Paulus reſpondet: *Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. 1. Cor. 1. 23. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 38.

Salomon ſeptem annis ædificavit templum, 13. regiæ domui impendit 3. Reg. 6. 1. Joſephus lib. 8. antiq. cap. 2. abſoluta templi fabrica, quæ ſeptennio duravit, & Regiæ ſtructuram eſt aggreſſus; quam vix decimo tertio anno conſummavit. Cur ampliſſimo templo ædificando non tot annos inſumpſit, quot regiæ domui exſtruendæ? quia primò curæ ſpirituali totus conatus animi erat impendendus; extructionem autem domus ad proprium uſum quaſi acceſſorium rex ſapientiſſimus deputavit. Eſcobar t. 3. colloq. Chr. obſ. 4.

Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Job 1. 11. Pro certo habebat Sathanas Jobi virtutem mox caſuram, ubi bonorum temporalium, quibus innitebatur, affluentia tolleretur. Deinde jacturam bonorum omnium, quæ poſſidebat, ſignificat fieri tantùm ex levi, pauculaque Dei manus extenſione, & attactione. Itàne leviter, & paululum extendere manum, & tangere, vocas extrema illa Jobi damna, quæ Dei facultate tibi conceſſa patraſti? *paululùm* vocas, extendere, tangere, boves, aſinas, jumenta omnia à Sabæis abacta? &c. S. Greg. quæcumque externa mala inferat Sathanas, parvi æſtimat, niſi animam læſerit; Et reipſa veriſſimè dictum eſt: levia ſunt, paucula ſunt, nulla, & nihili, quæcumque in Mundo pretioſa, grandia, ſumma, dicuntur; eorumque quæſtus, aut damnum nihil eſt; animæ verò lucrum, aut diſpendium ſolum, & verum, & magnum, æſtimari debet: Benedict. Fernandius in Gen. 2. ſect. 8.

Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Pſal. 53. 6. Intuere, quia dicit *animæ meæ*: ut, etſi corpus periculis exponitur, animæ tamen ſalus illæſa ſervetur. Caſſiodor. hic.

Juſtorum animæ in Dei manu ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Sap. 3. 1. Vel, ut alia lectio habet, *tormentum malitiæ*, id eſt, peccati. Deus animas quidem Electorum, quò eas tueatur, manu tenet; non autem corpora. Et hæc quidem affligi ſinit; illas autem ab omni diſcrimine præſtat immunes: quod exemplo Job probatur; in cujus quidem bona, & corpus, Sathanæ poteſtatem dedit; animam verò ab omni caſu tutatus eſt. *Animam illius ſerva*. Job 2. 6. Petr. Beſſæus D. 2. adv.

Deus noſter, quem colimus-poteſt eripere nos-quòd ſi autem noluerit &c. Dan. 3. 17. 18 q. d. ardeat corpus, modò pietas in Deum integra maneat, nec extinguatur. Eſcob. t. 1. mir. Chr. l. 5. ſect. 4. Obſerv. 4.

Laudaverunt Deum, quia in ea non eſſet inventa res turpis. Dan. 13. 63. Notat S. Hier. quòd parentes, unaque maritus Suſannæ, tantum laudaſſe Deum feruntur, quòd *non eſſet inventa res turpis in illa*. Cur non agunt gratias, quòd à lapidibus, & morte, ſervarit? Ratio eſt: quòd ſaxa corpori pœnam, adulterium noxam animæ inferret: quia juſti animarum ornamenta ſpectant. Did. Niſſ. ſ. 2. in die Cin. §. 2.

Ex Novo.

Quærite primùm regnum Dei. Matth. 6. 33. Prima ſit nobis animæ cura, corporis acceſſoria. De ſtudio, quo animæ neceſſaria procuranda, dicebat: *quærite*, q. d. magnam ſollicitudinem, ingenii totam aciem in eam rem vertite. De corpore verò ait: *nolite ſolliciti eſſe.* Didacus Niſſ. Dom. 14. Pent. §. 5.

Tetigit eum, dicens. Matth. 8. 3. Lepra corporis vel levi attactu divinæ manus fugatur; non ſic maculæ animæ; egent ferro, & igne. Recedunt juſſu Domini ſæpe morbi è corpore; ſine cooperatione hominis non ſic morbi animæ. Baeza t. 2. l. 9. c. 4. §. 14.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 2. Priùs Dominus ægrum liberavit à crimine, quàm à languore: auguſtius namque Dei beneficium eſt, nos à peccato eripere, quàm à cunctis corporis tribulationibus. Eſcob. t. 1. mir. Chr. obſ. 4. Tantiſper dilaturus Dominus paralyticum curare his illum verbis delinit: magnum enim eſt beneficium, ſi à peccatis liberemur, etiamſi in doloribus, & morbis relinquamur. Baeza t. 2. l. 9. cap. 1. §. 7. Non pro peccatis remittendis, ſed pro ſanitate corporis, paralyticus inferebatur. Sed Chriſtus ſemper ſuperbonus, & meliora exhibet petentibus, quàm rogatus; & ex fide inferentium priùs ſanavit animam, quàm donaſſet corpori petitam ſanitatem: ut oſtenderetur, priùs animarum, quàm corporum, quærendam eſſe ſalutem. Sim. de Caſſia l. 5. c. 17.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Matth. 10. 16. Serpens pro capite totum corpus objicit fuſtibus, & gladiis; ità & tu, ò Chriſtiane, pro animæ ſalute, totum corpus, opes, & famam objice. Corn. à Lap. in Prov. 1. 4.

Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Matth. 10. 30. S. Ambr. ſ. 26. Quomodo poteſt, fratres, oblivíſci noſtri Deus, qui etiam capillos capitis noſtri in Evangelio apud ſe dicit eſſe numeratos? Si enim capillorum noſtrorum meminit, multò magis noſtrarum animarum. Per numerum enim curam circa nos, ſollicitudinemque cognoſcimus: nemo enim numerat, niſi quod vult diligentiùs cuſtodire; nemo numerat, niſi qui veretur, nè fraudem circa numerum patiatur. Paſtor, ut ſalvum habeat gregem, frequenter numerat. Denique Dominus, qui eſt bonus paſtor, cùm una ovicula de centum aberraſſet, recurrens ad numerum, propriis eam ad gregem humeris reportavit. de Pinna in Eccl. Ethol. 214.

Et invenientis requiem animabus veſtris. Matth. 11. 29. Non dixit, corporibus; nam in hac vita lex Chriſti maximè quietem affert animæ; & quia, ut ait S. Paſchaſius l. 6. in Matth. in præſentiarum corpora cruciantur, ut animæ à vitiis requieſcant. Sylv. hìc.

Erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo. Marci 1. 23. Quia divina bonitas miſereri non deſinit, nec continet ira miſericordias ſuas; filium ſuum miſit in terras, ut paſſiones humani generis, quas neque natura, vel ars, poterant ſua virtute curare, divina, & ſupernaturali virtute depelleret: ut oſtenderet, quid in animabus facturus erat, qui ſic corpora refovebat. Sim. de Caſſ. l. 5. c. 8.

Non lotis manibus manducare. Marci 7. 2. Nihil ad cultum corporis, nil alienis oculis placitum, ſuos diſcipulos Chriſtus docuerat; ſed omnem mundi corporis contemptum, regni cœlorum urbanitatem, docebat Jeſus; & animarum nitiditatem, non corporum baptizmata, prædicabat. Id l. 11. c. 21.

Qui venerant, ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Luc. 6. 18. Theophyl venerunt, ut audirent eum, quod ad animę curam pertinet; & ſanarentur à morbis ſuis, hoc de corpore dicit apud Sylv. hic.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium. Luc. 11. 21. Lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt. Per atrium ſignificantur terrena, corpus &c. pedibus omnium tranſeuntium, ut domus atrium expoſitum. Lectulus autem animam ſignificat. Did. Niſſ. p. 2. l. 9. c. 3.

Epulabatur quotidie &c. Luc. 16. 19. S. Chryſoſt. hom. 1. de divite, & Lazaro: quotidie purpura induebatur; anima verò ejus araneis refecta erat: unguenta ſpirabat; & fœtoris plenus erat: carnem ſaginabat ancillam; dominam autem animam fame confectam negligebat. Sylv. hic.

O rem mirandam! quomodo omnes præſentibus rebus inhiant, & futurarum intelligentiam numquam accipiunt; ſed in corporeas quidem voluptates jugiter feruntur; animas verò fame tabeſcere ſinunt. S. Chryſoſt. or. de anima.

Salva temetipſum, & nos. Luc. 23. 39. Salutem corporis miſer ille gliſcebat, neſciens, quanta poſſet æterna ſalute donari, & ex corporis pœna mereri, innocenti Dei Filio in patibulo ſociatus, ſi à lumine fidei non fuiſſet averſus; &, cui collega in culpa, in pœna compar; in fidei virtute fuiſſet conſimilis. Sim. de Caſſ. l. 13. v. 40.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Jo. 1. 29. Non dicit morbos corporis, non moleſtias carnis; ſed peccatum, quod eſt morbus animæ, & corruptio mentis. S. Bern. ſ. de triplici advento.

Abiit trans mare. Joan. 6. 1. Poſtquam Mundi fluctus tranaverimus, convivio excipiemur in cœlo. Chriſtus Dominus Animæ, præſtantiori parti, verbi divini cibum priùs impertivit; *cœpit illos docere multa.* Marci 6. 34. *Loquebatur illis de regno Dei.* Luc. 9. 11. tum eſcam dedit. Tu quoque priùs, quæ ſpiritus ſunt, poſtea quæ corporis ſunt, negotia age. Barrad. Dom. 4. Quadr. t. 2. l. 10. c. 2.

Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus. Jo. 6. 26. Aug. tr. 15. in Jo. propter carnem me quæritis, non propter ſpiritum. Quàm multi quærunt Jeſum, niſi ut illis faciat bene ſecundùm tempus. Vix quæritur Jeſus propter Jeſum. Sylv. hìc.

Diluculo venit in templum. Joan. 8. 2. In templo animarum tractantur negotia; docemur, primam ſemper animæ habendam curam, & primùm regnum Dei quærere. Did. Niſſ. f. 6. poſt D. 3. Quadrag.

Scio, quia reſurget. Jo. 11. 24. S. Chryſol. ſ. 63. Qui ad Lazarum venerat, quid ſit occupatur in Martha? ut antè iſta in fide reſurgeret, quam ille reſuſcitaretur in carne. Priùs curabat bonum animæ, quàm corporis. Idem ibid.

Pertranſiit benefaciendo. Act. 10. 38. Et apud Samaritanam Jeſus meus ſedet. Io. 4. 6. hìc ſedet, illic pertranſit. In Samaritana negotium erat de ſpirituali vita animæ, cui Chriſtus ob infinitam ſuam Bonitatem maximè intendit; ideoque pro illa ſedet, & multa opera impendit. In aliis verò ſpectabatur ſolùm corporalis ſanitas; ideo de illis velut tranſitoriè agebat. Sylv. hìc.

Vincula, & tribulationes Jeroſolymis me manent; ſed nihil horum vereor, nec facio animam meam, id eſt, vitam corporalem, pretioſiorem, quàm me, id eſt, vitam meam ſpiritualem. Act. 20. 24. Ioan. Germiniani l. 8. c. 8.

Octo animæ ſalvæ factę ſunt. 1. Petri 3. 20. Arca illa typus Eccleſiæ fuerat. Nota emphaſim S. Petri, *octo animæ.* Quaſi dicat, in illa arca, diluvii tempore, non corpora, ſed animas fuiſse, hoc eſt, ſola officia, & ſtudia animarum, non corporum viguiſse. Bened. Fernand. in c. 6. Gen. ſect. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Animus magis amandus, quàm corpus. Quid huic adverſatur? ſenſus. Reſiſtendum ergo ſenſibus totis animi viribus? liquet. Quid ſi ſenſibilia nimium delectent? fiat, ut non delectent. Unde fit? conſuetudine iis carendi, appetendique meliora. S. Aug. ep. 151.

Non propterea Deus præſentem nobis vitam præſtitit, non animam in hoc corpus infudit, ut hac tantùm fruamur vita: ſed ut totis viribus ad futuram contendamus. Bruta præſenti dumtaxat vitæ uſui ſunt; nos idcirco immortalem animam habemus, ut ad illius vitæ præparationem omnia moliamur. S. Chryſoſt. hom. 30. in Joan.

Vitam curemus noſtram; & neque circa pecunias ſtudeamus, quæ pereunt; neque circa gloriam, quæ extinguitur; neque circa corpus, quod ſeneſcit; non circa pulchritudinem, quæ marceſcit; non circa delicias, quæ defluunt; ſed circa animam, omnem curam impendamus, & hanc omni curemus modò. Id. hom. 8. ad pop. Antioch.

Mira imò miſerabilis res. Infirmantur homines in corpore, & ſtatim quærunt ſollicitè remedia; infirmantur in anima, & graviſſimè; & non quærunt remedia, ſed dimittunt ſe ſic ire ad mortem. B. Humbertus ſerm. 39. ad fratr. de ordine Theutonicor.

Si ſaucii, & morbos corporales depellere cupientes, nullis facultatibus parcimus, etiamſi induſium divendendum ſit, ut ab infirmitate illa liberemur; multò magis animæ infirmitatem, & graviſſima peccatorum vulnera curemus. Id tom. 6. ſer. de verb. Apoſt.

Si rectè quidam, carnem hanc famulam, animam verò dominam eſse, dixerunt; non oportet poſteriore nos loco dominam ponere, ac famulam iniquo jure præferre. S. Eucherius ep. parænet. ad Valeriam.

O mirabilis cæcitas hominis! qui cùm conſiſtat ex anima, & carne; tamquam ex nobili, & ignobili; incorruptibili, & corruptibili: totum tempus ſuum expendit in proviſione miſerabilis ſuæ carnis; animam autem ſimpliciter negligit, nec de ipſa curat, ac ſi ipſa nihil eſset. S. Bonav. ſtim. am. c. 1.

Hic eſt maximus mortalium error, quòd, cùm homo ex anima, & corpore conſtet, & nobilior multo. principaliorque hominis pars anima ſit; hac contempta, ſolis nutriendis, vegetandis, impinguandiſque corporibus tota vita incumbunt. S. Thom. Vill. ſer. Dom. 3. Quadrag.

Chriſtus operatus eſt ſalutem noſtram 33. annis. Quantum verò temporis dabit reſurrectioni corporum? *in momento, in ictu oculi.* 1. Cor. 15. 52. *Mortui reſurgent incorrupti.* Nimirum animabus diu multumque vacandum, corpori obiter. Did. Niſs. Dom. 4. Pent. §. 5.

Cùm comederent panem, Prophetam Jeſum vocabant, & regem facere volebant. Jo. 6. 14. Matth. 13. 55. indignati fabri filium dicunt. Et quidem videbantur indignari, quia de cœlis deſcendiſse diceret. Non tamen hæc erat cauſa, ſed quòd corpus non paſceret. Sylv. in Matth. 28. q. 5.

§. VI.

Anima ciba.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. Pſal. 62. 6. Pinguis anima eſse non poteſt, niſi à Deo paſta nituerit. Sed pinguedo animæ, divinarum rerum ſcientia eſt, recta fides, in conceſsa patientia, & cætera, unde ſæculi iſtius macies jejuna ſuperatur. Caſſiod. hìc.

Tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis. Pſ. 77. 18. In eo offenderunt, quòd animabus eſcas peterent corporales; nec unam corpori, & alteram animæ, menſam expecterent; ſed una, eademque menſa corporea, & corpus, & animam, vellent ſaginare. Id. ib.

Nonne anima plus eſt, quàm eſca? Matth. 6. 25. Quàm improvidi ſunt homines circa animæ bona, ut nihil non meditentur corporale, nihil, præter eſcas, requirant. Baeza tr. 3. l. 14. c. 9. §. 20.

Anima habes multa bona poſita - requieſce, comede. Luc. 12. 19. Tam improvidus eſt erga bona animæ, ut eſcas corporeas animæ adſcribat. Id.

Obliti ſunt panes accipere. Matth. 16. 5. Id eſt, tunc adverterunt ſe ex oblivione non ſumpſiſſe panes. Fortè tam occupati fuerunt circa cibum animæ, quòd corporalem cibum ſecum ferre obliti ſunt. Dionyſ. Carthuſ. hìc.

Sicut carni veſtræ, nè deficiat, cibos quotidie præbetis; ſic mentis veſtræ quotidiana alimenta, bona ſint opera. Cibo corpus paſcitur, pro opere ſpiritus nutriatur. Quod morituræ carni tribuitis, victuræ in perpetuum animæ non negetis. S. Greg. lib. 4. homiliar. hom. 4.

Ut caro mollibus, ſic anima duris, nutritur; illam blanda refovent, hanc aſpera exercent; illa delectationibus paſcitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Id. mor. l. 10. c. 13.

Anima tua veſcatur, nè fame pereat. Da illi panem. Quem panem? inquis. Ipſe tecum loquitur. Tu ſi audires, & intelligeres; & crederes Domino, ipſe tibi diceret: *ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* S. Aug. de Verb. Dom. ſec. Lucam ſer. 30. ad finem.

Nonne, ſi dici ità poteſt, muti animalis vox iſta eſt: *anima habes multa bona &c.* Luc. 12. 19. Si enim porcinam animam habuiſſet, quid ei aliud, quàm manducandi, & bibendi, bona nuntiare debuerat? nunc autem ità totus animalis homo eſt, & totus carneus; ut animam ſuam carnalibus, & corruptibiiibus eſcis exiſtimet eſſe paſcendam & ea, quæ in ſeceſſum egeruntur, animæ præparat ad utendum; Cujus utique naturæ talis eſt, ut virtutibus alatur, ut verbo Dei ſaginetur; ut intellectibus piis, & religioſis diſciplinis, atque exercitiis excolatur. S. Ambr. ſ. 81. de hom. divite.

Vis deliciari? animam paſce; trade ipſi cibos, quorum conſuetudinem habet. S. Chryſoſt. ad pop. Antioch. hom. 54.

Animæ 7. opera miſericordiæ exhibe. Ciba cibo Scripturarum: liber apertus eſt menſę, ibi comedit anima legendo, & contemplando. Item audiendo ſermones anima cibatur: prædicator eſt cocus, & ſervitor miniſtrans vobis, quæ paravit in coquina Spiritus Sancti. Pota lacrymis. Collige peregrinam, nè ſe diſtrahat negotiis ſæcularibus. Redime captivam, quia multis debitis obligata. Veſti nudam virtutibus. Viſita infirmam, examinando, quomodo expendiſti diem? Sepeli mortuam. Nobiliſſima ſepultura animarum, vulnera Chriſti, per contemplationem. Iſa. 22. 16. *excidiſti tibi ſepulchrum.* S. Vinc. Ferr. Dom. 4. poſt Trinit. ſer. 3. Vide plura tit. Fides, Opera, Oratio, Verbum Dei.

§. VII.

Anima negligitur à multis.

Ex Veteri, & Novo.

Appoſitus eſt ei panis in conſpectu ejus. Gen. 24. 33. & ait, *non comedam, donec loquar ſermones meos.* Vide locum. Cur Eliezer non ceſſavit loqui, donec audiret: *en Rebecca coram te eſt, tolle eam, & ſit uxor Domini tui.* Cur non priùs, feſſus, ex itinere, vires reficit? hoſpitalitate finitur? & tum demum mandata exequitur? abſit! *non comedam.* Lyranus hìc: in hoc oſtendit, habere ſe negotium impoſitum ſibi cordi. An vos curam animæ non ſolùm neceſſariæ corporis refectioni, ſed cuivis recreationi, & ludis, anteponitis? Quem ſic loquentem audivimus? hodie me peccato fœdavi, igitur non comedam, niſi toxicum hoc confeſſione evomuero. Mercede pauperem defraudavi; non comedam, niſi ex integro ſatisfecero &c. Quis ita agit, & loquitur? an non potiùs hæc animi negotia in ultimum locum ablegamus? P. Segneri die Mercurii Dom. 1. Quadrag. ferm. 7.

Rachel autem, & Joſeph, noviſſimos. Gen. 33. 2. Quando Jacob reverſus in patriam, ut iram Eſau obviam venientis vitaret armati; familiam partitus in turmas, in fronte poſuit ſervos; Balam, & Zelpham-agmen clauſit Rachel &c. quorſum hic ordo? Videns ſe imparem reſiſtendo eſſe, id ſolùm egit, ut, ſi pereundum foret, non omnem ſimul familiam periculo objiceret, ſed chariora tutiori loco collocaret. Oleaſter in 37. Gen. poſuit ancillas in principio, ut ſcilicet iram fratris minùs dilectæ exciperent priùs. Quo docuit, minùs dilecta pro conſervatione eorum, quæ magis diliguntur, eſſe periculis objicienda. Quid dicam, aut cogitem? dum video vos primo omnium animam veſtram periculo objicere, eamque in agminis fronte poni. Numquid ancillæ loco à vobis habetur? peccat illa, modò dignitas familiæ, bona fortunæ, negotia profana, filii, filiæ, parentes, amici; quin & ſcorta, equi, & canes ſalvi ſint. O amentiam! Id. ib. Flebat irremediabilibus lacrymis, *heu! heu! me fili mi! omnia ſimul in te uno habentes &c.* Tob. 10. 4. 5. Pari Zelo Anima cuivis ſua penſanda foret, ut non niſi peritiſſimo tutori eam confidamus. Quid dicam de iis, qui eam dæmoni ultrò committunt, & ab eo ad omnes damnationis proximæ occaſiones adduci ſinunt? Dant dilectam animam ſuam in manu inimicorum ejus. Jer. 12. 7. *Moliuntur fraudes contra animas ſuas.* Prov. 1. 18. *Homo occidit per malitiam animam.* Sap. 16. 14. *Fili, ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum.* Eccl. 10. 31.

Miſerere animæ tuæ. Eccl. 30. 24. Salvianus l. 3. ad Eccl. nihil ſanè duriùs vobis dici poteſt, nihil tam ferum, nihil tam impium; à quibus impetrari non poteſt, ut vos ipſos ametis. Quis furor eſt? viles à vobis animas veſtras haberi, quas etiam diabolus putat eſſe pretioſas. Si in damnationem præcipitemini, quis tantæ poteſtatis, aut clementiæ, erit, ut inde vos eripiat? Abſalon duro exilio mulctatus Joab invenit, qui reditum impetravit. 2. Reg. 14. 21. Joſeph. carceri mancipatus à pocillatore Pharaonis in libertatem affectus eſt, Gen. 41. 9. Jeremias in ciſternam projectus, c. 38. 11. Abdemelech nactus eſt, qui porrecto fune eum extraxit. Animam verò tuam quis extrahet *de altitudine ventris inferi?* Eccl. 51. 7. Quis funem porriget? quis brachium extendet? quis ſcalas applicabit? *Qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet, nec revertetur ultrà in domum ſuam.* Job 7. 9. 10. Segneri ib.

Abiit in domum ſuam (Achitophel) & diſpoſita domo ſua ſuſpendio interiit. 2. Reg. 17. 23. Cur? quòd Abſalon non adhæreret judicio ſuo. Cur priùs tendit in domum ſuam? major ei erat cura, & ſtudium de domo ſua, quàm de anima: vult enim, ut domus ſua ſit ſalva, & integra in hæredum manibus; animam verò ſuam æternæ damnationi committit. Sylv. in Matth. 27. 5. c. 6. q. 4. Diſpoſita domo ſua ſuſpenſus interiit; quaſi mallet ſuum corpus in malam crucem, & animam in infernum chaos præcipitare, quàm ſuas opes relinquere incuſtoditas. Mendoza in l. 1. Reg. c. 3.

Adhæſit caput ejus quercui. 2. Reg. 18. 9. Cur arrepto pugione, crines non abſcindit? & à ſuſpendio ſe eximit? nè crines perderet, ſecare timuit! Alvarez in Joſ. Illuſtr. Illuſtr. 92.

Quis aſcendet in montem Domini? qui non accepit in vano animam ſuam. Pſ. 23. 3. 5. *In vanum* aliquid accipitur, quando non dirigitur ad deſtinatum ſibi finem. *In vanum* emiſti veſtem, ſi numquam eam induas. Creavit Deus memoriam, ut ejus recordareris; intellectum, ut eum cognoſceres; voluntatem, ut eum amares. Did. Stella de contempt. van. Mundi c. 95.

Statera doloſa. Prov. 11. 1. Hugo per ſtateram accipit judicium rationis; quod rectum, & ſincerum eſt, cùm in ea vera falſis, honeſta turpibus, ſancta profanis præponderant. Statera item eſt animus hominis, in quo bilances ſunt ratio, & ſenſus; voluntas, & concupiſcentia. Ita S. Baſil. in illud: attende tibi ipſi. Corn. à Lap. hìc.

Magnificat anima mea. Luc. 1. 46. Toletus: rectè inquit B. Virgo *anima mea*; quia ipſa ſola habebat animam ſuam in poteſtate ſua, ejuſque erat domina, &c. Corn. à Lap. in Luc. 1.

Ex Patribus.

Omnia magis quærimus, quàm animæ utilitatem. Et domum quidem, ut conſiſtat, ſæpè quærimus; & non ferremus videre illam vetuſtate, vel tempeſtate ſubverſam, vel collapſam. De anima autem nulla eſt cura; ſed, licèt fundamenta ejus videamus putrefieri, & ſtructuram ipſam, & ædificium; nullam tamen ejus rei habemus rationem. - Et apud nos ſunt multæ leges de beſtiis curandis; de anima autem nullus eſt ſermo. Quot ſunt, qui curant canes, nè plus, quàm par eſt, impleantur, & ità ut efferi, præ fame, eſurie, venentur; ſeipſos autem non curant: & ità docent non deliciari, ut & beſtiæ philoſophiam diſcant; ſeipſos autem permittunt in ferinam ſævitiam degenerare. S. Chryſoſtom. in Act. Apoſt. hom. 34.

Innumeros dies deflent homines, familiarum obitus, pecuniarum damnum; quòd autem animam ſingulis diebus amittamus; nè cogitamus quidem. Id. hom. 8. in ep. 1. Cor. 2.

Væ nobis! quia princeps animæ pars carni, quæ ancilla eſt, ſervit; & pars deterior imperat præſtantiori. B. Iſaias Abb. or. 29.

Quam excuſationem apud Dominum habere poterimus, qui plus amamus veſtem noſtram, quàm animam noſtram. S. Cæſarius Ep. Arelat. hom. 8.

Error dolore dignus eſt, ullum omninò inveniri, aut eſſe poſſe, qui de curſu infelicis vitæ iſtius brevi ſpatio in ipſa extremitate jam pendens, iturus illicò ad tribunal Dei, quidquam aliud cogitet, præter finem ſuum; quidquam aliud, præter exitum ſuum; quidquam aliud, præter periculum ſuum: & neglecta ſpe ſua, at-

que anima, cui opitulari aliquatenus vel in ultimis ſuis omni niſu, omni re, ac ſubſtantia ſua, debeat; hoc ſolùm cogitet, hoc ſolùm animo ſuo volvat; quàm lautè hæres ſuus res ſuas comedat. Miſerrime omnium, quid ſollicitus es? quid æſtuas? - Ecce iturus es infeliciſſime omnium ad Examen Sacrum, ad tremendum illud, intolerandumque, Judicium; ubi peregrinanti animæ, atque anxiæ, nullum poteſt omninò eſſe ſolatium, niſi ſola tantummodò bona conſcientia, niſi ſola tantummodò innocens vita, aut quod proximum eſt, bonæ vitæ miſericordia. Infeliciſſime omnium, cogitas, quàm benè alii poſt te vivant; non cogitas, quàm male ipſe moriaris. - Interim hoc ſpecialiter dico, & peculiari admonitione commoneo; nè ullum omninò aliquis, quamvis chariſſimum pignus animæ præferat. - Faciliùs eſt hic deeſſe filiis quidpiam, quàm parentibus in futuro: & multò levior eſt præſens tenuitas, quàm æterna paupertas. Salvianus l. 3. ad Eccleſiam Catholicam.

Cùm parvas quaslibet res nobis injuſtè ſublatas diſtrictè dijudicet Deus; credendum eſt, quòd hominem ſibimet ſubtrahi, pretioſam ſcilicet ſubſtantiam, æquanimiter feret? B. Petrus Damiani l. 5. ep. 16.

Quantum putas detrimentum incurris, ſi animæ immortalitatem neſcis, vel omninò non credis? ſi enim de animæ immortalitate non conſtet; quis, quæſo, ad futuram retributionem properat? quis, obſecro, vitam ſuam reſtringat, nè poſt concupiſcentias ſuas eat? quis ſe ad fortia opera accingat, tam acerbam patientiam habeat; ſi de futura vita penitus diffidat? &c. Rich. à S. Victor. l. 3. de Arca myſt. c. 15.

Vendens animam, pro qua Chriſtus nobis datus eſt, pro brevi aliqua delectatiuncula, reputat Chriſtum ſtultum fuiſſe mercatorem; cùm pro re tam vili det animam, pro qua Chriſtus ſuum dedit ſanguinem. Did. Stella p. 1. c. 62.

§. VIII.

Animarum cura.

Quod majus lucrum poteſt eſſe; aut quid pretioſius, quàm ſi humanam animam quis lucretur. S. Hieron. in ep. ad Titum cap. 1.

Si Dominus noſter proprium ſuum ſanguinem effundere pro illa ove non declinavit; qua venia dignus fuerit, qui ſic honoratam à Domino deſpicere voluerit, & non omnia, quæ poteſt, in curanda ovicula adimpleverit? S. Chyſoſt. in Gen. hom. 57.

Neſcio, ſi poteſt homo aliquid in hac vita à Deo majus accipere; ignoro, an poſſit hac gratia interim majorem Deus alicui homini conferre; quàm ut ejus miniſterio perverſi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli, filii Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur eſſe mortuos ſuſcitare? Ergone majus erit, ſuſcitare carnem iterum morituram, quàm animam æternum victuram? ergone majus erit, carnem revocare ad gaudia Mundi, quàm animæ reſtituere gaudia cœli? ergone majus erit, reſtituere carni bona tranſeuntia iterum peritura, quàm animæ reddere bona æterna in æternum manſura? O qualis dos! quanta dignitas! talem gratiam à Deo accipere? Non debuit Dei ſponſa à ſponſo ſuo dotem aliam accipere; non decuit cœleſtem ſponſum ſponſæ ſuæ dotem aliam donare; quàm ut, per adoptionis gratiam, poſſit multos Deo filios gignere, & de filiis iræ filiiſque gehennæ, regni cœleſtis hæredes aſcribere. Richard. à S. Vict. lib. de Beniam. minor. c. 44.

Curam animarum nè appetieris: nam cùm ad eam metam nondum perveneris, ut cunctis animi tui paſſionibus imperes; & tibi ipſi, & illis, qui te ſequerentur, noceres. S. Ephrem de vit. ſpir. ad novit. monach. c. 35.

Perfectorum eſt virorum, animas ſuſcipere. Id. parænesi 15.

Nulla majora lucra, quàm animarum. Pretioſior eſt iſta negotiatio, quàm auri, & argenti, primi, & puriſſimi. Et ſi nihil aliud homines permoveret ad animarum lucra, ſatis eſſet memorabile, pro eis effuſi ſanguinis pretium. Sim. de Caſſia l. 9. c. 44.

Filios lucis, imò te patrem hujuſmodi filiorum, quantam apponere decet curam, quot labores, quot vigilias? ubi de rebus æternis agitur, ubi verè, & unicè expaveſcendum pro animabus tractatur damnationis periculum. Jo. Gerſon ſerm. coram Papa Benedicto.

Anima arguitur neglectus.

Longè graviori, & periculoſiori debito tenentur adſtricti, qui pro multis animabus reddituri ſunt rationem. Quid ego infelix! quò me vertam? ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius judicavit, contigerit negligentiùs cuſtodire. Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oporteret; quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſervandum accepi, pro quo mercator non inſipiens ipſa utique ſapientia ſanguinem illum dedit. S. Bern. ſ. 3. de Adv. Dom.

Cadit aſina, & eſt, qui ſublevet eam; perit anima, & nemo, qui reputet. Id. de conſid. ad Eug. l. 4. c. 6.

Charior iis (malis Clericis) interdum equus, aut canis eſt; & cruatur ſtudioſiùs, quam illæ animæ, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Iſid. Clarius l. 2. or. 27. de malis Clericis.

Da mihi animas, hoc dicit diabolus Prælato. Heu multi Prælati hodie pactum fecerunt cum diabolo: diabolus habet animas, ipſi habent cætera omnia. Hugo Card. in Gen. c. 14. 21.

Quid aliud hodie quæritur ab Epiſcopis, niſi argentum, & aurum? de animarum verò ſalute ultima cura eſt. S. Thomas Villan. ſer. 2. aſcenſ. Dom.

Num. IX.

Anima vel una tibi chara ſit.

Motiva

Deus, & Chriſtus.

Ex Veteri.

Scalam ſtantem. Gen. 28. 12. Dico cum Theodoreto, & Pererio, hanc ſcalam eſſe ſymbolum providentiæ, & gubernationis divinæ: unde Deus illi innititur, quaſi prima cauſa, & primum movens omnium. Angeli aſcendunt, & deſcendunt, quaſi miniſtri, & executores providentiæ divinæ. Hæc ſcala è cœlo ad terram pertingit, quia Deus inferiora per ſuperiora, homines per angelos, gubernat. Duo ſcalæ latera ſunt ſuavitas, & fortitudo; varii modi providentiæ ſunt gradus. Sic Homerus Providentiam deſcribit per catenam auream, à Jove è cœlo demiſſam in terram, qua Jupiter omnia comprehendit, conſtringit, & ad ſe trahit. Nota: Deum ſuos, præſertim virtute inſignes, tanta cura per ſe, & angelos, curare, ac ſi iis totus incumberet, nec quidquam aliud curaret in toto Mundo, juxta illud Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Corn. à Lap. hìc.

Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Ex. 3. 6. Cur ſingulorum Deus eſſe dicitur, ac ſi non ſimul omnium Deus exiſteret? S. Aug. tom. 3. confeſs. c. 11. ò tu bone, omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, velut ſolum cures; & ſic omnes, tamquam ſingulos curares, & diligeres. Eſcob. tom. 2. perſec. Chriſti ſect. 2. Comment. litter. in Joan. obſerv. 7. Cur hìc ad ſingulos repetitur nomen *Dei*? Reſp. ut oſtendat Deus, quantam ſingulorum habeat curam; quòd unum curet, ſicut omnes, & quòd ſingulorum ſit totus. Corn. à Lap. in Ex. 3. 6.

Fortitudo, & laus mea, Dominus &c. & factus eſt mihi in ſalutem. Ex. 15. 2. Quid dicis Moyſes? nonne omni populo Iſrael factus eſt Dominus in ſalutem? Intellige myſterium: in Deo gratia omni populo communis, in ſervo autem gratus animus; ac ſi beneficium ei ſoli fuiſſet collatum. Carthuſ. hic: hoc ad ſervum Deo ſpecialiter gratum, devotum, fidelemque pertinet; ut de generalibus beneficiis Creatoris ſpeciales laudes, & gratias referat Domino, quaſi ſint ſibi ſoli condonata ab illo. Sylv. in Joan. 3. q. 47.

Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſrael. Num. 1. 2. 3. Oleaſter: non eſt, Domine, impletus annus, quo eos numerari præcipiſti; & jam iterum eos ſupputari vis? quid eſt, quòd eos tam crebrò numeras? Certè Deus diligens Hebræorum animas, omnium expetit ſalutem, nè vel unica ovicula erronea à numero recedat. Pergit Oleaſter: nam quemadmodum, qui pecuniarum ſiti agitur, & eas diligit, continuè eas ſupputat; ità & Deus eos, quos diligit, ſupputare non deſinit. Eſcob. t. 3. colloq. Chr. lib. 3. Obſ. 2.

Ego Dominus Deus tuus. Deut. 5. 6. Oleaſter expendit *tuus*, dum ait: ſunt aliqui reges, & domini, qui ſunt ſui; alii, qui ſunt conſanguineorum ſuorum, & amicorum. Quid, quæſo, habet Deus, quod non ſit tuum? Habet cœlum; tuum eſt, cujus influentiis vivis: ſi terram; *eam dedit filiis hominum*: ſi ſtellas; eas creavit in miniſterium cunctis gentibus. Leonard. Leſſ. de perfect. div. tit. liberalitas.

Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum. 1. Reg. 16. 13. Ungitur David in medio fratrum ſuorum, teſte S. Gregor. quia qui præeſt, medius debet eſſe, nec plus uni quàm alteri, adhærere. de Pinna in Eccleſiaſticum.

Benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ. Pſal. 17. 47. Quid? *Deus ſalutis tuæ!* Dominus univerſorum eſt, quem tu ſalutis tuæ ſolùm vocas Deum. Ego, ait David, tam de ſalute mea Deum ſollicitum experior, adeoque in curam mei excubantem: ut ſolus videar, & opus ipſius, & regnum. Adeò omnia, quæ agit, ſaluti meæ militare conſpicio, ut ſalus mea dexteræ ipſius opus unicum videri poſſit. Oliv. t. 2. Strom. hìc.

Redemiſti me Domine Deus veritatis. Pſ. 30. 6. uti David recognoſcit beneficium redemptionis à ſervitute Ægyptiaca, ut vult Lyr. Ità dolet Dominus, dum unus perit, ac ſi multi perirent. Sylv. in Jo: 3. q. 47.

Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, Cant. 2. 4. Ad unam animam introductam in cellaria vini quaſi tota charitatis vis ordinatur. Eſcob. t. 2. perſec. Chr. ſect. 2. Obſ. 7.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. 2. 16. illa mihi. & non alteri, quoniam ſum una columba ejus. S. Bern. ſer. 68. in Cant. Ac ſi illa ſola, & ille in Mundo eſſent. Lud. de Ponte hìc.

Erudire Jeruſalem, nè fortè recedat anima mea à te. Jerem. 6. 8. Deus eſt populi anima. Ergo totus in toto reſidet, & totus in parte,

te, ſeu in quolibet homine. Salvian. Chriſtus, ſicut pro omnibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis; & totum ſe dedit univerſis, & ſingulis totum. Ac per hoc, quidquid Salvator paſſione ſua præſtitit, ſic totum debent ei univerſi, ſic totum ſinguli. Eſcob. tom. 3. Colloq. Chr. Obſ. 5.

Ex Novo.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me, Matth. 4. 9. Rejicit illum Dominus. *Vade Sathana.* v. 10. Cadit tamen ante pedes Judæ, in cujus corde diabolus morabatur. Quod præſtare noluit pro omnibus Mundi regnis, modò pro uno Juda acquirendo exhibet; unde declaret; in quanto pretio habenda ſit vel una anima. Jo: 13. q. 37.

Quia Dominus his opus habet. Matth. 21. 3. Neceſſarius ne homuncio unus creatori? Tanti Deus ducit unum hominem, ut cum eo quodammodo omnia poſſidere videatur; ſine ipſo nihil. Eſcob. t. 3. Colloq. Chr. l. 8. ſect. 1. Obſ. 3.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22. 14. Ad regales nuptias vocantur omnes; ex quibus cùm unus adeſſet non veſtitus nuptiali veſte, miſſus eſt in tenebras exteriores. Et ità Dominus claudit parabolam: *multi ſunt vocati &c.* Ex omnibus vocatis unus eſt ejectus; quomodo ergo pauci ſunt electi; dicendum potiùs erat: multi ſunt vocati, pauci verò reprobati; ſed è contrà dicit: *pauci electi*: quia ità dolebat in unius amiſſione, ac ſi multos perdidiſſet. Sylv. in Jo: 3. q. 47.

Quemadmodum gallina congregat pullos ſub alas. Matth. 23. 37. Et ſi unum pullorum clamantem, & ſegregatum audierit, velut ſi omnes deficerent, querulatur. Unica uni, unica omnibus, unica ſingulis, una in omnibus. Salvator igitur propter omnia iſtam ſimilitudinem gallinæ ſuſcepit. Sim. de Caſſ. l. 7. c. 32.

Quamdiu feciſtis uni &c. Matth. 25. 40. *Uni*: quia non ſolùm uni Dominus ſuas fatigationes litat ſed ſingulis; ità uni ac omnibus. Unde alget, famet, ſitit, in uno, ac ſi in omnibus pateretur. Eſcob. t. 3. Colloq. Chr. Obſ. 5.

Unus veſtrum me traditurus eſt. Matth. 26. 21. *Cùm hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu.* Jo: 13. 21. Syr. *infremuit ſpiritu.* Arab. *commotus eſt ſpiritu.* Hæc turbatio ſpiritus ingens fuit triſtitia, & dolor, de perditione & damnatione Judæ. Hilaris ibat ad paſſionem.

Præcedebat eos Jeſus, & ſtupebant. Marci 10. 32. perditionem verò ab uno diſcipulo triſtiſſimè patitur. Sylv. in Joan. 13. q. 37.

Deus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me? Matth. 27. 46 S. Hilarius. Suam ſolitudinem conqueritur. Sed quomodo dicit ſe in cruce ſolitarium? nonne ait Jo: 12. 32. *cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum*? Si omnia ad ſe traxit, quomodo ſolitarius? admittebat unum latronem, & inde ſolitarius ſibi videbatur. Sic unum amittens latronem anxiebatur, ac ſi omnes perdidiſſet. Sylv. in Jo: 19. c. 16. q. 1.

Ite, dicite Diſcipulis ejus, & Petro. Marci 16. 7. Petrum nominat ſpeciatim. An non Petrus ad Collegium diſcipulorum pertinet? cur ergo ſpecialiter nominatur? quia ovis fuit erronea, ad quam adducendam Paſtor bonus eam curam impendit quam pro omnibus. Eſcob. l. 3. Coll. Chr. Obſ. 3.

Sedebat ſic ſupra fontem. Jo: 4. 6. Labores noſtra cauſa ſuſceptos pro quiete habet JESUS: nulla enim ei ſedes eſt, nulla uſpiam requies; niſi ubi fatigatio, & labor, pro animabus ſuſceptus adeſt. Unde S. Baſil. Seleuc. or. 26. montes, & ſylvas, obire non recuſat, obit præcipitia; cùmque venit in partem errationis, & ſubjiciens humeros proprio labore oviculam curat laborantem, gaudet ipſa fatigatione; ovium inventionem ratus laſſitudinis eſſe levamentum. Baeza tom. 2. l. 6. cap. 3.

Venit mulier de Samaria. Joan 4. 7. Unam Samaritidem quæſiturus Dominus *fatigatus* advenit: ut oſtendat, ſudores ſuos, ac labores, ſic uni impendere animæ, ac omnibus ſimul. Idem ibidem obſ. 4.

Si quis ſitit. Jo: 7. 37. Non dixit, ſi qui ſitiunt; ſed ſingulariter ad unum ſitientem invitandum ſe accinxit. S. Chryſoſtom. ſi quis deſiderat, hunc ſolum voco. Profectò, ſi vel unus homo ſitiat, hunc voco, uni me totum impendam. Eſcob. t. 2. Perſec. Chr. Obſ. 7.

Poſt dies octo iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis, venit Jeſus. Jo: 20. 26. Diſcant Prælati, quam commiſſis ovibus ſolitudinem exhibeant, ſi pro una ſola Dominus apparuit. Omnis ſollicitudo, omnis labor, unius animæ negotio minor eſt. S. Thom. Vill. ſerm. in Oct. Paſchæ.

Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum propter me. Gal. 2. 20. S. Chryſoſtom. hìc: declarat, hoc quoque par eſſe, ut quiſque noſtrum non minùs agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet. Et de compunct. cord. ait: ideo denique & in illa boni Paſtoris parabola non dicitur, quia venit, oves multas quærere, ſed unam. Id. in Gen. hom. 34. Quid dicis? ò Paule! paulò ante dicebas: *pro omnibus tradidit eum*; & nunc dicis, *qui dilexit me*; &, ut proprium, commune uſurpas beneficium? Profectò inquit: nam licèt pro omni hominum genere ſacrificium oblatum ſit: tamen propter amorem in eum, id quod factum eſt omnibus, proprium mihi facio. Peculiare hoc eſt amori, ut ex communibus propria faciat.

Ex Patribus, & aliis.

Erronea ovem patientia paſtoris requirit, & invenit: nam impatientia unam facilè contemneret. Tertull. lib. de patientia.

Errat & una paſtoris ovicula, & grex una charior non erat; una illa requiritur, pro omnibus deſideratur; & tandem invenitur, & humeris paſtoris ipſius refertur. Id. lib. de pœnit.

Sic greſſus meos, ſemitaſque conſideras, & diu, noctuque, ſuper cuſtodiam meam vigilas, omnes ſemitas meas diligenter notans, ſpeculator perpetuus; velut ſi totius creaturæ tuæ, cœli, & terræ, oblitus, tantùm me ſolum conſideres, & nihil ſit tibi curæ de aliis. S. Aug. Soliloq. c. 14. O tu bone omnipotens! qui ſic curas unumquemque noſtrum, tamquam ſolum cures; & ſic omnes tamquam ſingulos, Id. Confeſſ. l. 3. c. 11.

Sic intendunt divina judicia ſuper unam animam, ſicut ſuper unam urbem; ſic ſuper unam urbem, ſicut ſuper unam gentem; ſicut ſuper univerſam generis humani multitudinem: quia & ſic intendit Dominus ſingulis, ac ſi vacet à cunctis; & ſic ſimul intendit omnibus, ac ſi vacet à *ſingulis*. S. Gregor. Mor. lib. 25. cap. 13.

Noſtrum nullum eſt opus, quàm ut opes animæ quæramus. S. Chryſoſt. in act. Ap. hom. 32.

Ità tibi intendit Deus, ità tui curam jugiter habet, quaſi tu ſolus in toto terrarum orbe viveres. Lud. Bloſ. parad. animæ c. 2.

O amici mei! ſic tenerè diligo oves iſtas; quòd ſi poſſibile eſſet, adhuc mori propter quamlibet ovem ſpeciali morte, qualem in cruce pro omnibus paſſus ſum, magis eas redimerem, quàm eis carerem. lib. 1. c. 59. Revel. S. Brigittæ.

Tu quis es? ſum Prælatus, Et quid eſt, eſſe Prælatum? eſſe Paſtorem, non dominum, non principem. *Non dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis.* 1. Petri 5. 3. Sed cujus gregis? Utique illius, pro quo Filius Dei vitam poſuit; quem non auro, & argento, ſed ſanguine ſuo pretioſiſſimo, emit. Et quantus grex? ſexaginta millia, centum millia ovium. Difficilis cura! Unus Angelus unam ſibi ex illis omnibus ſufficere putat; & tu tanta? S. Thomas Villan. ſerm. Dom. 3. Adventus.

Alia motiva.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

Joſeph filius tuus vivit - Revixit ſpiritus ejus, - & ait, ſufficit mihi. Gen. 45. 26. 27. 28. Ante, ubi occiſum audit, ità plorat, quaſi nullum alium haberet ex filiis. Gen. 37. 33. 34. Sic Chriſtus maximè videtur indolere, quando vel unus perit, quaſi alios non haberet; gaudet autem ſummè, quando vel unus convertitur. Marchantius D. 3. Pent.

Vos eſtis lux Mundi — neque accedunt lucernam; &c. Matth. 5. 14. 15. Non videntur hæc inter ſe cohærere: nam lux Mundi ex ſuo munere habet; diffundi per totum orbem. At lucerna poſita ſuper candelabrum uni tantùm domui lucet. Quomodo ergo ſunt lucerna ſuper candelabrum, & lux Mundi? Reſpond. vir Apoſtolicus tanto affectu intendat illuminare unam domum, ac totum orbem; ac ſi una anima illi ſit tam chara, quàm totus orbis. Sylveira addit. Evang. Matth. 5.

Domine! puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8. 6. Abundans Centurio militibus, ſe putat ſine ullo famulo exiſtere, dilecto uno dum privatur. Dominum exprimit, ſic unius peccatoris amiſſione affectum, ac ſi omnibus hominibus privaretur. Eſcob. tom. 3. Coll. Chr. l. 11. ſect. 1. obſ. 2.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam &c. Luc. 15. 4. In una ove intelligitur numerus omnium peccatorum. Si omnes peccatores in una ove perduntur, quinam in 99. ovibus deſignantur? ipſi perditi homines ob Adami delictum. Uno peccatore pereunte, Paſtori quodammodo perduntur omnes oves. Id. ib.

Vide plura tit. Superior. Zelus.

TITULUS XX.

ANIMALIA.

§. I.

Obſequia Sanctis præſtita.

S. Severus Epiſcopus pauperibus natus parentibus, ſed probis, & in egenos miſericordibus. Ab iis in juventute Domino cuidam traditur in ſervitium, qui equarum ei curam commiſit. Veſtes ab hero acceptas pauperibus ſæpiùs tradidit: ideo domo excluſus ſummo frigore, derelictus ab omnibus ſub die Deum precabatur. Et ecce grex equarum paſtorem ſuum adit, hinc inde verſis vultibus eum circuit, flatibuſque in eum emiſſis frigus ſentire non permittit, Quod ubi Domino nuntiatum, novis, melioribuſque veſtibus eum donavit, magnoque in honore habuit; imò, cùm gentilis eſſet, baptizari petiit. Bolland. 1. Febr.

S. Aninas Thaumaturgus anachoreta in obſequiis ſuis duos leones habuit, qui eum aſſiduè comitabantur. Stylitam quemdam, epiſtola per leonem miſſa, docet patientiam. Id. 16. Martii S. Regulus

gulus Ep. in ſpatioſo campo populum docebat uſque ad veſperum; coaxantibus ranis efficacius imperat ſilentium, una permiſſa coaxari. Hodie dum in loco illo, una excepta; omnes ſilent. Depoſitionis ipſius feſto cùm innumerabilis populus ad eum honorandum accurrit, cervi utriuſque ſexus, hinnuli, capreoli, divino nutu ad ſepulchrum ſancti præſulis conveniebant, ibique pavimento per miſſam proſtrati, ea peracta recedebant in ſylvas. Id. 30. Martii.

S. Rodoanus Abb. in Hibernia, in itinere leproſis petentibus eleemoſynam, equos ſui currus dedit; ſtatimque duo cervi ex ſylvis adſunt, & currum ſubeunt. Id. 15. April.

Electo & coronato in Pontificem S. Leone IX. gallus gallinaceus frequenti voce ejus nomen repetebat; & naturalem emiſſurus ſonum, cunctis mirantibus, Papa Leo inſonabat. Id. 19. April.

Joſepho Anchietæ aves obumbrato ſole adulatæ ſunt. Duo ex noſtris iter fecerunt, amiſit alter Breviarium, voluit redire quæſitum, vetuit Socius dicens, non amittendum. Cùm ecce poſt aliquot leucas canis illud rictu obtulit. Nieremberg. de animal.

§. II.

Animalium Obedientia.

S. Jacobus Ep. Tarantaſienſis in templo ædificando, cùm ad materialia operarii bobus uterentur advehenda, ferox urſus bovem dilaceravit. Nuntiatur id Epiſcopo; qui adveniens videt quod nuntiabatur, cui dixit: Ego Jacobus Chriſti famulus præcipio tibi, ut in nomine Domini ad opus, quod impediſti, cervicem inclines: qui ſtatim collum jugo ſuppoſuit. Boll. 16. Jan.

S. Humberto Ep. Romam cum ſociis proficiſcenti, dum ſe, & pecora, in via reficiunt, urſus devorat equum; quem cùm famulus ſemidevoratum reperiſſet, idque Domino nuntiatum fuiſſet, accurrit ipſe, & urſo imperat, ut ſacculos toto itinere ferat. Vocatus ſtatim accedit, onus patienter ſuſcipit, ſtupentibus cunctis in urbibus, & vicis, per quos iter habebant. Juſſu Pontificis divinitus moniti dimittunt urſum. Id. 25. Martii.

S. Simeon Priſcus Abb. errantibus viæ duces aſſignat leones Id. 26. Jan.

Vidi Salisburgi annoſum, & cornua alta ferentem cervum; qui & frænum, & ſeſſorem, &, quod mirùm magis; bombardæ à ſeſſore intrà cornua illius locatæ exploſionem, pateretur; equitemque ad unum ferè milliare, principes cellerrimo curru vectos comitantem, portaret, quovis equo agilior. Stengelius t. 2. de div. jud. cap. 14.

B. Oringa, ſive Chriſtiana V. Entruria genere humili orta; cùm adoleſcens boves paſceret, ut liberiùs orationi vacaret, iis præcepit, ut ſegetibus, & ſatis, abſtinerent. Paruerunt, ut nec ſpicam lamberent. Bolland. 10. Jan.

S. Genulpho Ep. gallinas multas in uſum pauperum, & hoſpitium, alenti, vulpes unam abſtulit; juſſa referre, retulit. Id. 17. Jan.

S. Jacobus Ep. Tarantaſ. in via ad regem Galliarum dormientis aſini oculum corvus abſtulerat; præcepit in nomine Domini referri; retulit & ſanctus ſanum oculum in cavernam aſino reſtituit. Id. 16. Jan.

V. P. Joſephus Anchieta iter cum indigenarum comitatu faciebat; & ecce vipera illis objicitur in itinere (eſt autem huic colubrorum generi veneni virus ſupra quàm in Europa teterrimum) ea conſpecta comites terrore perculſi diffugere. Revocat illos Pater, jubetque viperam ad ſe venire; paret illa, eamque apprehenſam ſedens ſibi collocat in gremio, manuque demulcens, occaſionem cepit multa de divina potentia diſputandi; naturam nullam eſſe demonſtrans, quæ non hominis imperio obtemperet, nulla re divinam legem violanti. Sermone longo in hanc ſententiam abſoluto, multiſque monitis indigenas ad Chriſtianæ legis obedientiam hortatus, viperam ſua benedictione affectam placidè à ſe dimiſit. Vita ejuſdem.

Vicos luſtraturum P. Anchietam comitabatur navi Petrus Leitanus è Soc. Erat malacia ſumma, æſtus gravis, ac moleſtus; ægrè eam cœli gravitatem ferebat Leitanus. Videt Joſephus propè littus in arbore tres, quatuorve quaracies inſidentes (eæ ſunt aves gallinarum magnitudine, purpureo colore in flavum vergente ſpecie pulcherrima) eas Joſephus Braſilico ſermone alloquens: ite, inquit, cognatas veſtras accerſcite, noſtrumque iter, volatu veſtro obumbrate. Illæ extento collo vocem, quaſi accepti imperii ſignum miſere, indeque avolantes paulò poſt magno cum grege rediere; denſatæque in nubem, tamdiu eamdem ſupervolantes umbram fecere: donec, ſpatio leucæ unius decurſo, lenis cepit afflare aura Favonii. Tunc Pater avium dimiſit comitatum. Illæ quaſi imperio perfunctæ, officioſa crocitatione, & multis lætitiæ ſignis, avolarunt. Ib. plura vide ibidem.

§. III.

Animalium refugia ad Sanctos.

Clothario Britanniæ rege venationi indulgente, aper à venatoribus actus, ad Deicolum Abbatem confugiſſe dicitur, & tutum in ejus ſinu reperiſſe aſylum. Miremb. l. 2. nat. hiſt. c. 5. Item Boll. 18. Jan.

Cervus à venatoribus, & canibus in venatione exagitatus ad S. Humbertum Ep. confugit, & ſe ſub pallio illius compoſuit, venatoribus perſequi non audentibus: quia repentino terrore correpti divinitus, greſſus reflexerunt. Id. 25. Martii.

S. Ægidius Abb. ad oſtia Rhodani ſolitarius cerva lac præbente vixit; ſed à venatoribus exagitata cellam ipſius petiit, & ſolitò mæſtius immugiens ante ſenis pedes provoluta jacuit; ut cujus humanitatem diu experta fuerat, ejus etiam auxilio ab imminente periculo tegeretur. Nieremberg. hiſt. de animal. l. 9. c. 95.

S. Albertus Eremita, cum in agro quadam die operaretur, in leporem incidit; qui non modò non profugit, ſed capi ſe familiariter ſivit: cumque eum ſocii occidere velent, liberum dimiſit. Poſt paulò inſectantes fugiens venatores ad virum Dei denuo accurrit; qui ipſum mox intrà tunicæ ſuæ manicam abſcondit. Boll. 7. Jan.

S. Catharinæ Svecicæ, filiæ S. Brigittæ, vir cùm more nobilium damam cum canibus venaretur, contigit S. Chatarinam fortuitò per viam ipſius luci tranſvehi: ad quam fera laſſa confugiens caput ſuum in ſinu ejus reclinavit. Viro, & aliis advenientibus, oſtendit feram ſub pallio latentem; eidem petens, & impetrans, libertatem. Id. 24. Martii.

Inter Hiſpaniam, & Hiberniam, eſt locus quidam, qui ob reverentiam S. Brendani, aliorumque loci illius Sanctorum, hominibus, pecoribus, feris, refugium præſtat inauditum. Cervi, apri, lepores, &c. cùm canes è veſtigio ſequentes nullatenus fugere poſſe ſe præſentiunt, ad locum illum accurrunt; ubi rivulum pertranſierunt, canes curſum ſiſtunt, nec ulteriùs inſequuntur. Nieremb. lib. 2. de miraculoſis naturis Europæ c. 12.

§. IV.

Animalia familiaria Sanctis.

Ad Rhemigium Rhemenſem Ep. paſſeres advolare ſolitos, accepimus, & de manu ejus certatim cibum petere, & capere. Nieremb. de animal. l. 9. c. 95.

S. Franciſcus Seraph. cùm aliquando in horto inter fruteta deambularet, cicada ficulneam linquens ſupra evocantis manum conſedit: &, Deum laudare juſſa, voce tremula ſuaviorem ſolitò ſtridorem edidit. Id.

Erat Anchietæ uſitatum, quotidie dimiſſo catechiſmo, ad vires animi recreandas, in agro aliquantiſper ambulare, atque è Codice horario, etſi nondum ſacris ordinibus initiato, ſolemnem diei pſalmodiam percurrere. Obſervatum eſt perſæpe, admirandæ ſpeciei aviculam, multis, pulcherrimiſque coloribus diſtinctam, ad ipſum ſolitam eò tempore advolare, tripudioque hilari, modò illius humeros, modò brachia, librumque inſilire. Ex vita.

TITULUS XXI.

ANNUS.

Ægyptii per Palmam in ſuis hieroglyphicis ſignificabant Annum: quia ſingulis quibuſque menſibus ramum profert, & ſic 12. ramis annum integrum ſignificat. Jo: Oſorius fer: 2. poſt Dom. Paſſ.

Annus novus.

Idolorum cultores Jano duas facies figurarunt; unam, quæ præteritum annum videtur aſpicere, aliam, quæ futurum. Fauſtinus Ep. in ſermone.

Primum, & novum ſacrificium Teſtamenti veteris oblatum in menſe Niſan, ad quod ignis divinitus miſſus eſt. Dies fuit octava. Dies verò 14. ejuſdem menſis Niſan, dies fuit Sacrificii novi, teſtamenti novi, Euchariſtiæ. Fuit dies novi ignis, eximii amoris. Sic Deus dilexit &c.

Calendis Januarii Deuteronomium Moyſes populo promulgavit. Undecima enim menſe, *prima die menſis*, ait Scriptura Deut. 1. Cùm autem primus menſis Hebræorum fuerit Niſan, undecimus erat Januarius. Hujus rei figuram implevit Salvator, hoc eodem die novam legem. Sanguine ſuo in circumciſione ſanciendo, & vitæ Chriſtianæ velut exordium exhibendo. Primus anni dies Sanguine dedicatur, ut olim in Niſam agni immolatione. Berlinc. L. I.

Sereniſſima, piiſſimaque Iſabella Belgarum princeps nocte poſtrema cujuſque anni lampadem jubebat accendi coram eburnea Crucifixi ſtatua (quam Philippo II. parenti ejus Pius V. dono miſerat) juxta lectum collocatam; ut, cùm Kalendis Januarii evigilaret, primum obtutum, cogitationemque jaceret in Chriſtum è cruce pendentem; eamque mentem deinceps, quoad liceret, toto anno conſervaret. Duoltreman. l. 4. cap. 2. de amore ſect. 4.

Solent Sinæ ſupra domus limen renovatas, anni redeuntis initiis, neſcio quorum ſpiritum imagines collocare. In earum locum ſucceſſerunt inſculpta ſingulis tabulis auguſtiſſima Jeſu, & Mariæ, nomina, quæ ſimul ædium patrocinia ſuſcipiant, & Neophytorum fidem proteſtentur. P. Nicol. Trigautius de Chriſtiana expeditione l. 1. c. 10.

TITULUS XXII.

APOSTOLI.

§. I.

Figura.

Ex Veteri.

Ubi erant duodecim fontes aquarum. Ex. 15. 27. Per duodecim fontes deſerti, duodecim Apoſtolos intelligit S. Proſper parte 1. c. 39.

Duo lapides; Ex. 28. 9. duo præcepta ſunt dilectionis Dei, & proximi, quibus duodecim tribuum ſculpta nomina continentur, duodecim Diſcipulos in hoc numero jam deſignantes, quos noſter Sacerdos in humeris perfecta dilectione portavit. Id. p. 2. c. 3.

Poneſque in eo quatuor ordines lapidum. Ex. 28. 17. Tertull. l. 4. Contra Marcion. c. 13. hiſce duodecim gemmis dicit, ſignificatos duodecim Apoſtolos. Iiſdem enim ſignificantur Apoſtoli Apoc. 21. 19.

In primo Ordine primus *Sardius*, qui ignis ſpecie tranſlucet. Significat fervidam doctrinam, & pro ea martyrium: eſt enim colore ſanguineo, & igneo, quo feris terrorem incutit. Hinc Apoc. 21. 20 Tribuitur *S. Bartholomæo*, qui pro Chriſto excoriatus totus ſanguineus ideoque dæmonibus terribilis fuit.

Secundus *Topazius*, qui partim cæruleo, partim aureo, immò omni colore reſplendet, ait S. Iſidor. l. 16. c. 7. Significat animum cœleſtem, & ad omnia infractum; Tribuitur. *S. Jacobo* fratri Domini, qui cœleſti charitate irradiatus, per illam Judæos, omniaque terrena, ſupplantavit. Tertius *Smaragdus*, qui maximè viret; ita ut res alias, quin & aerem, virorem ſuo inficiat. Significat Virginitatem, & tribuitur *S. Joanni*. In ſecundo Ordine primus *carbunculus*; Græcè ἄνθραξ, id eſt, carbo ignitus. Significat ardentem charitatem; & tribuitur *S. Jacobo* fratri Joannis, qui ardens charitate Chriſti primus Apoſtolorum pro Chriſto martyr occubuit. Secundus *Saphyrus*, qui cæruleus eſt, id eſt, cœleſtis coloris, & aureis punctis collucet; & radiis ſolis percuſſus ardentem emittit fulgorem. Significat eos: qui mente & vita in cœlis verſantur: unde in Apoc. tribuitur S. Paulo; vel potiùs S. Andreæ; qui amore cœli, & radiis Chriſti, biduo apud eum manens percuſſus in ejus amorem exarſit & terrena omnia calcavit. Tertius *Jaſpis*, gemma firmiſſima, & virens, ideoque Smaragdo ſubſimili. Significat fortitudinem fidei, & tribuitur S. Petro. In tertio Ordine primus *Ligurius*. Veriſimile eſt, eſſe hyacinthum, interprete S. Hieronymo. Significat contemptum terrenorum, & amorem cœleſtium. Congruit S. Simoni, qui cœleſtibus, & ſuaviſſimis fuit moribus. Secundus *Achates*, quem Anſelmus Boetius inſignis medicus, & gemmarius Rudolphi II. Imp. dicit, venenis viperarum, & ſcorpionum ictibus adverſari. Cor recreat, ac adversùs omne genus contagii tuetur. Sitim ore contentus, manuque detentus, febrientium æſtus compeſcit. Narratur, aquilam ſuo nido imponere; ut pullos contra venenatorum animalium morſus tueatur. Tribuitur Judæ Thadæo. Tertius *Amethyſtus*, qui purpureus eſt, violaceus, & roſeus, ſculptura facilis, leniterque flammulas fundit. Significat humilitatem; tribuitur *S. Matthiæ*, qui nomine & in oculis ſuis, parvus fuit.

In quarto Ordine primus *Chryſolithus*, qui partim aurei, partim marini eſt coloris. Significat pœnitentiam, tribuitur *S. Matthæo*. Secundus *Onyx*. ità dictus ab humani unguis ſpecie datur *Philippo*. Anſelmus Boetius l. 2. de gemmis ex Appiano. Mithridates Ponti Rex fertur duo milia poculorum ex onyche in ſuo theſauro habuiſſe. Ceram non recipit, ideo ad ſigilla aptiſſima. Tertiùs *Beryllus*, qui inſtar aquæ ſolis fulgore percuſſæ, rubicundus eſt, & decorus? affertur ex India. Tribuitur S. Thomæ. Corn. à Lap. in Ex. 28. 17.

Elige duodecim viros. Joſ. c. 4. 2. Duodecim viri electi à Joſue ſunt duodecim Apoſtoli electi à Chriſto. Hugo Card. hic Sicut Judic. 7. 6. nudis uſus eſt militibus, ſiniſtra quidem geſtantibus lucernas in urnis latentes, dextra verò tubas: ita ſacros Apoſtolos miſit nudos in univerſam terram, ferentes lucernam miraculorum, & prædicationum tubam. B. Theodoretus q. 15. in Judic.

Et boves duodecim ſubter mare. 3. Reg. 7. 44. ſuper quos mare poſitum eſt, niſi duodecim Apoſtoli? quibus recens in morte Chriſti conſecratum Baptiſmi Sacramentum traditum eſt. S. Rupertus l. 3. c. 23.

Salomon 3. Reg. 4. 7. ut aula ſua eſſet benè ordinata, ordinavit *duodecim præfectos* ex filiis Iſrael, quos conſtituit proviſioni ciborum &c.

Derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos. Job 19. 20. Quid per labia, niſi locutio? quid per dentes, niſi Sancti Apoſtoli deſignantur? qui in hoc Eccleſiæ corpore idcirco ſunt poſiti; ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque à ſuæ pertinaciæ duritie confringant. Unde & eidem primo Apoſtolorum, quaſi denti in ejus corpore poſito, dicitur. Act. 10. 13. *occide & manduca*. S. Greg. Mor. l. 14. c. 23.

Sagittas ſuas ardentibus effecit. Pſ. 7. 14. Vocat Apoſtolos igneas ſagittas ad inflammanda corda Credentium. S. Auguſt. hic poſt medium.

Poſuiſti in capite ejus coronam. Pſ. 20. 4. id eſt, in principio prædicationis ejus, coronam de lapide pretioſo, id eſt, de lapidibus pretioſis, ſcilicet duodecim Apoſtolis Hugo Card. hic.

Diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Pſ. 21. 15. Oſſa Chriſti Apoſtoli dicuntur, quia ſicut caro ab oſſibus roboratur; ita & corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, ab Apoſtolis firmatur. S. Hieron. hic.

Vox Domini præparantis cervos. Pſ. 28. 9. Cervos hìc vocat beatos Apoſtolos, quorum *pedes ſpecioſi evangelizantium bona*, utpote conculcantes ſerpentes, qui hominibus inſidias ſtruunt, & mortem afferunt. B. Theodoretus l. 2. in Cant.

Sagittæ potentis acutæ. Pſal. 44. 6. Intellige ſagittas acutas eos, qui per Orbem univerſum ad evangelizandum miſſi ſunt. S. Baſil. hìc.

Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes. Pſ. 58. 7. Non enim inveniebant canes egregii, ſcilicet Apoſtoli, copiam eſcarum apud inimicos Chriſti Judæos: paucos quippe ex illis manducare, id eſt convertere, & ſibimet incorporare poterant. Unde Petro eſurienti oſtenſum vas linteum. Act. 10. Rupertus in Gen. 27. l. 7. c. 8.

Animalia tua habitabunt in ea. Pſ. 67. 11. Animalia Dei ſacros Apoſtolos nuncupat. Idcirco ipſos equos Abacuc nominavit. *Viam feciſti in mari equis tuis.* 3. 15. Id. hic.

Virtus ejus in nubibus. Pſ. 67. 35. Cùm Apoſtoli docendi munus præceptoris more obiiſſent, veluti quædam nubes, aquam è pelago Spiritus Sancti haurientes, irrigationem hominibus afferunt. Id. hic.

Nubes ſunt Apoſtoli, & prædicatores: quia ſicut nubes è terra, & mari in altum ſublatæ à ventis impelluntur; ita Apoſtoli ex terrenæ humilitatis humo, & hujus ſæculi mari, Dei gratia attolluntur, & Spiritu Dei impelluntur. Corn. à Lap. in Ezech. cap. 10.

Elevaverunt flumina Domine &c. Pſal. 92. 3. Fluvios ſacros Apoſtolos vocavit: hi enim fluviorum inſtar omnem irrigationem hominibus attulerunt. B. Theod. hìc.

Meliora ſunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. id eſt, Apoſtoli tui, quos à te inſtructos vice tui ſubſtituis, multò ſunt meliores, quam antiqui Prophetæ; quorum Spiritus erat acer, ſicut vinum. At Spiritus tuorum Apoſtolorum eſt Spiritus amoris; ſuntque inſtar matrum, quæ uberibus lactant infantes ſuos. Lud. de Ponte hìc. Ubera Chriſti Apoſtolos non incongruè accipimus: per ipſos enim in fide nutrimur, & ſpiritali alimento reficimur. S. Juſt. Orgelit. Ep. hìc.

Similis dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. Cant. 2. 9. Propter acerrimum viſum, & velocem curſum ad omnes fines orbis ſpecioſis pedibus Apoſtolorum currens. Philo Carpath. hìc.

Surge, propera anima mea, columba mea. Cant. 2. 10. Apoſtoli comparantur columbis, tum propter alias analogias alibi recenſitas, tum quia columba indulgentiſſima eſt erga fœtum. Etenim, ut Naturaliſtæ tradunt, columba veniente frigore nidificans, & partum nido immittens, ſuas etiam plumas avellit, ut parvuli fœtus meliùs cubent. Quo fit, ut ipſa ſæpè mater gelu contabeſcat. 1. Theſſ. 2. 7. *facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Corn. à Lap. hic.

Ferculum ſibi fecit Rex Salomon. Cant. 3. 9. Mens præterea charitate, Zelo animarum, & Spiritu Apoſtolico flagrans, & prædicans Chriſtum crucifixum, vocatur ferculum Chriſti: Chriſti enim nomen, fidem, & cultum; circumfert per omnes gentes. Unde ferculum Chriſti fuit S. Paulus, & Apoſtoli, inquit Theodoret. Immò Chriſtus ipſe. Act. 9. 15. *vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum.* Id. hìc.

Emiſſiones tuæ &c. Cant. 4. 13. Per emiſſiones paradiſi Sanctiſſimi Apoſtoli, veluti deliciarum horti, intelliguntur. Philo Carpath. hic. Pro emiſſiones Hebr. *Apoſtolatus*; Lat. *legatus* vel *miſſus*. Unde Apoſtoli emiſſiones paradiſi, velut lavacrum ſacri fontis habentis intelliguntur; qui tamquam mala Punica foris rubentes in laboribus, & ærumnis; poſtremùm & Sanguine Martirii, permultos hominum Chriſti fidei veluti grana pepererunt; hiſque tamquam parvulis fructus ſuaviſſimos arborum cœleſtium, ad fidei incrementum, & charitatis opera, præbuerunt. Philo Carpath. cit. Corn. à Lap. cit.

Crura illius columnæ marmoreæ. Cant. 5. 15. Crura ſymbolum ſunt ingreſſus, & progreſſus. Significant ergo itinera Chriſti, & profectiones, quibus per Judæam; per Apoſtolos verò, & viros Apoſtolicos, omnes gentes Evangelizando obivit; fuiſſe puras, rectas, fortes, & validas; ità ut nemo eas ſiſtere, remorari, vel impedire, poſſet. Hinc multi per columnas has accipiunt Apoſtolos, qui, quaſi pedes, Chriſtum detulere per totum orbem; adeo fortes, & robu-